REFLEXVS SPECVLI MORALIS QVI COMMENTARII VICE

esse poterit in Magna Moralia Aristotelis: auctore JOHANNE CASO, in Medicina Doctore, Collegij Divi Iohannis Præcursoris Oxon. olim socio.

Consilium.

Adolescentes Speculum consulant, quo ad bonum incitentur. Socrates.

Consilij ratio.

Breves virtutis labores æterna voluptas sequitur. Plato.

Vsus rationis.

Non de virtute multa scire sat est, sed enitendum est ipsam habere. Aristoteles.

Finis.

Nunquam stygias fertur ad umbras Inclyta virtus. Seneca.

Morum studium.

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè,
Æquè neglectum pueris, senibusq; nocebit. Horatius.



OXONIÆ,

Ex officina IOSEPHI BARNESII. 1596.

DIGNISSIMO VIRO BOnarum literarum in primis studioso RICHARDO PHETIPLACIO armigero amico suo singulari *S. P.*

MVltum, ac sæpè mecum cogitans (vir amicissime) quodnam tandem symbolū veri amoris, gratiq́ue animi, pro tuis in me beneficiis, iam senex apud te relinquam; aliud sanè te dignius nullum invenio, quam aliquod monumentum ingenij, quo maximè tu quidem delectaris. Rectè quidem ille:

Quam libri faciunt, fama perennis erit. Ovid.am.

Vt ergo æterna tui nominis, tuæq́ue illustris, et antiquæ familiæ memoria habeatur, monumētum parvum ingenij, de magnis Moribus conscripsi, quod Phetiplaciorum nomine, & patrocinio, iam primum in lucem edo. De magnis Moribus dico, quia magnus Aristo-


teles, quem interpretor, magnorũ moralium hos libros nominavit; et rectè sanè, nam in ijs veluti in thesauris maximorum hominũ verissimæ opes, arma, & insignia fortunæ insunt (mentis morumq́ virtutes intelligo) ex quibus vera nobilitas, et honor constat. Accipe ergo (vir insignis) tesseram senectutis, & voluntatis meæ. Accipiat etiam parvulus Phetiplacius tuus, familiæ flos, spes magna posteritatis tuæ. Meminerit olim hoc adolescens, senem patri, et sibi dedisse speculũ, in quo reflexum virtutum videat. Et fortasse ut reflexi radij solares in vitro opposito soli maiorem flammã & calorẽ excitant: ita quidem virtutum imagines, in hoc speculo ab illo conspectæ ardentius desiderium, et sitim bonarum literarum efficient: hoc saltem docebunt illum, pluris æstimare virtutis studia, quam insignia honoris, tametsi illa à multis, magnis, & antiquis familijs duxerit. Nam si me audias minorem Laudem meritus non est Gulielmus Phetiplacius Armiger ille atavus tuus, qui Reginæ collegio Oxonij, litteris et literatis iam florentissimo *Benefactor fuit: quam alij tui nominis, & domus, qui vitam pro patria oppignorârũt.*

O

DEDICATORIA.

O quam pauci hodie armigeri benefactores literis & literatis sunt! Sed tu optimum exemplum habes, quod imiteris. Quid urgeo? currenti non addam calcar. Novi enim in hac re consilium tuum, animum propensum novi. Pergam. Donum quod tibi nunc offero (vir generose) veluti granum est, parvi fortaße ponderis, magni amoris tamen: qui amor parem amorē postulat. Si ergo me ames mihi satisfactum est. Nam præter amorē nihil quæro. Vale 20. Septembris 1596. ab ædibus meis Oxonij.

Tui studiosissimus
Io: Case.



Ad Lectorem, Benevolum.



NNO abhinc undecimo (perbenigne lector) in Ethica Aristotelis librum conscripsi, quem idcirco morale Speculum tũ nominavi, quoniam in eo expressę formę, & imagines virtutum facilè conspiciuntur. Ab illo equidem tempore promissi memor, otiosus non fui. Sed quantum in me erat operam dedi, ut (oraculis universæ philosophiæ editis) tibi (cui omnes Lucubrationes meas & studia destinavi) tandem pro viribus satisfacerem. Sed spe penitus fallebar mea. Nam postquam perfeci opus, Typographus negavit prælum,

causa iusta, ut ait, negandi fuit, ne volumine alibi forte impresso, ipse suarum rerum magnam iacturam faceret, ut in Politicis bis, terue impressis fecit. Admisi causam, opus occului, et oportunè quidem: tum quia meis ipsius sumptibus rem tantam non potui persicere, tum quia nova sidera philosophiæ exorta sunt, Pererium, Zabarellam, Pacium, Collegium Conimbricense, aliosq; doctissimos viros intelligo, qui de eadem materia disserentes, omnes huius ætatis interpretes facilè superârunt. Ne ergo lucernam, ut aiunt, in sole accenderem, aut noctuas ducerem Athenas, libenter mihimet imperavi iustum silentium. Cæterum contra spem, amicorum tandem assiduis & importunis precibus devictus, nec non propemodum coactus iterum in lucē prodeo, et ut agricola novos fundos iam colo, quos alij, ut ita dicam, agricolæ hactenus non coluerunt. Per hos fundos libros œconomicorum, et magnorum moralium intelligo: in quibus exponendis perpauci, aut nulli omnino interpretes desudârunt. Maior hinc mihi certe

certe labor et ſudor fuit, ſed uberior uti ſpero tibi fructus erit. Opuſculum autẽ hoc novum (ſtudioſe lector) ſpeculi moralis mei reflexum nomino: Reflexum dico, quia eædem imagines et formæ virtutum in his libris intuentibus offeruntur quæ in libris Ethicorum olim apparuerunt. At mentis tuæ radijs in centro Speculi quaſi collectis; maiorem fortaſſe vim & æſtum virtutis ex reflexu ſenſeris, quam ex primo Speculi intuitu antea percepiſti. Contendo etenim in hac Epitome flammulas in animis adoleſcentum accendere, et non tam ornatas ipſas proponere virtutes, quàm ad illarum oſculum & amplexum exemplis pertrahere. Hoc equidem idcirco iam ago, quia ubiq; has caſtas virgines, id eſt virtutes languentes video. Sed quid mens ſine virtute? Poeta te docet:

Mens virtutis inops, mare piſcibus, alite cœlum, Mantuanus.
Sideribus mundus, gramine terra carens.

Quid

Quid ergo moraris? Cur pedem à limine virtutis retrahis? Tempora quidem luctuosa sunt, vulnera vitiorum lethalia: morandum ergo non est: audi alium poetam,

Ovid.rem. am.lib.1.

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum, longæ damna tulisse moræ.


Si hîc urgeas non opus esse omnino isto reflexu Speculi, cum ipsum Speculum virtutum intuearis, erras sane. Nam ut ex reflexu naturali species rerum multiplicatæ sunt, altiusque in sensibus impressæ, & infixæ manent: ita imagines virtutum vi huius reflexionis, & numerosiores, & efficaciores factæ, multò vehementius animos humanos movent. Multæ enim in hoc quasi medio multiplicantur species, id est, multæ leges, multa præcepta virtutum, quæ in Ethicis à Philosopho omittuntur. Sit ergo hæc morum tractatio media inter Ethica, & Politica, quasi Thebis Athenas via. Quid multis. Si me audias iter hoc morum suscipe, viam hanc

mornm,

morum, si placet, sequere. Si delecteris præceptis, præcepta imitare. Præcepta optimarum virtutum sunt, te ergo decet imitari. *Vale 26. Novemb. Oxonij ab ædibus meis.* 1596.

Tui semper studiosus,
I. C.





DE SPECVLO ET REFLEXV Speculi.

NOn sum adeò informis, vidi me nuper in illo
Quod Casus effinxit Speculo, speculiq; Reflexu,
Clara repercusso dum reddit lumina vitro.
Namq; hanc Materiam Stagiritæ ex arce petitã
Docti loqui manus alma Casi, calamusq; disertus
In speculum hoc morum retulit, Speculiq; Reflexũ:
Seu novus Architas, Speculo qui misit ab uno
Multiplices radios Phœbi rutilantis ad ortum:
Quorum quisq; novam lucem genuisse refertur,
Corpore in adverso quod lumen reddere nosset.
At dum me miserum Speculo contemplor in illo
Mõte quod in Sinai bis Quina ad verba recusum est,
Quod resonante tubâ, σεισμῷ, quod et igne recoctũ est:
Sum nimium informis, coeno deformior ipso.
Innati mihi namq; mali faciem hoc mihi monstrat,
Et quæ commisi teneris ego crimina ab annis.
At dum respicio in Speculum quod Christus Iêsus
Ex Evangelico conflavit codice: Sordes
Deletas video quas Moses misit ab are.
Hoc Speculum aspiciens formoso pulchrior ipse
Daphnide conspiciar, si me non fallat Imago.

TH: HOLLAND, S. Theologiæ
Professor Regius.

IN speculo, speculi reflexu, CASE, videbit
Se bonus ut surgat, se malus unde cadat.
Te petit, infesto ut perdat Basiliscus ocello?
At perit ille suis fraudibus, arte tuâ.
Obiicitur Speculum, speculo iniicit ille venenū,
Reflexu speculi se videt, inde perit.
M. G. M. D. Ioannensis.

Mores Case doces: discāt hęc tēpora mores:
Sed mores discāt tēpora nostra bonos:
Quos tu Case doces speculo speculiq; reflexu:
Displicet huic speculum cui mala vita placet.
B. WARNER: MED: D.

ECcè ad Principium suum repulsi
Feruntur Radii, recensq; Mores
REFLEXVS Speculi refert priores.
Non sunt hîc noua. Nam Reflexionis
Idem est angulus, Incidentiæq;
Idem visus, idem manente eodem
Et lumen Medio: nec hæc ab illâ
Lux differt, nisi quòd sit Incidente
Virtus fortior ipsius REFLEXI.
RIC: LATE-WARR. *Ioannensis.*

In Reflexum Speculi Moralis Iohannis Case Oxoniensis ἑξάστιχον.

VIsa prius *Speculum* studioso obiecit ocello,
Sed fluere ex oculo, vel modò visa solēt. Iam.1.24.
Reflexus speciem, quam obiecerit, usq; tuetur,
Nec fluere ex oculo visa remota sinit.
Se tibi iam duplici constrinxit nomine Casus,
Per quem visa vides, hæcq; remota tenes.

H. Price. Ioannensis.

Cap. I.

An tractatus Magnorum Moralium sit opus Aristotelis? &
An sit pars magis Civilis quàm Moralis scientiæ?



Vm Aristoteles sit brevitatis magister, & oraculum totius philosophiæ, mirum fortasse alicui videbitur, cur decadi librorum de Moribus in lucem iam editorum, aliud tandem opus de eâdē omnino materiâ eodem ferè ordine & methodo tractata adiecerit. Agnosco equidem nonnullos eosdemq; eruditos vehementer de hac re dubitare, nec non ob hanc solummodo causam hoc opus tanquam apocryphum & spurium è canone librorum Aristotelis penitus dispungere. Sed da veniam (studiose Lector) si ab istorum iudicio & opinione disiliam, præsertim cùm calculos sine numero, umbras rationum sine pondere, nudas assertiones & argumenta sine conclusione animadvertam esse. Nam ut arietem, cuius vi & impetu maximè contendunt hoc nobile Morum ædificium diruere, verbo repellam, nihil quidem hoc est, quod tantoperè & sæpe urgent; nimirum Aristotelem centris non circulis

De quo Bono in hoc opere discutiendum est.

Refutatio eorum qui hoc negant esse opus Aristot.

culis orationis & probationis uti. Is enim, ut aiunt, solũ aphorismos loquitur, & in utraq; philosophia rerum & morum axiomata tradit, longas lineas non trahit, admirabili ingenii vi conclusiones pręcipitat, omnẽ prolixitatẽ sermonis, omneq; tędium, ut monstra philosophis & philosophiæ infesta fugit; cur ergo ex culice elephantem hic fingit? cur idẽ saxũ millies volvit, principiumq; petit? cur idem subiectum, eadem præcepta morum, easdem leges virtutum & vitiorum tractat, cum satis iam satis in decem libris Ethicorum hæc omnia demonstravit? Aristoteles philosophus & medicus fuit, ideoque nec idem bis diceret, nec cramben (ut aiunt) bis coctam nobis apponeret: deleatur ergo hic liber Magnorum Moralium, quippe magni Aristotelis maximum ingenium non omnino sapit. Falsò accusas philosophum in eo, in quo tu ipse es iure condemnandus. Nam is semel, tu centies idem verbis mutatis loqueris. Summa omnium hæc est: Ethica scripsit Aristoteles: ergo Magna Moralia non scripsit. Argumentum nego, quî id probas? Quia idem est subiectum, idem ordo utriusque. Si probè attenderis, non est. Nam etsi vita humana mentis & moris ornamentis dotanda, sit ipsa in utroque volumine materia & subiectum, ut ais, in illo tamen strictiùs, in hoc fusius sumitur. Quippe in Ethicis philosophus respectum singularem; in Magnis verò Moralibus respectum communem seu universalem tractandi virtutem habet: illic te, hũc

Materia ethicorum & magnorũ moralium eadem, sed non eodem modo tractata.

etiam

etiam & illum bonum; hîc autem hominem in specie studiosum & sapientem efficere contendit. Sic ut est alia virtus boni viri, alia boni civis, & tamen non semper alia, si essentiam virtutis spectes; cum solùm in existentia & modo sæpe discrimen insit: ita alia aliaq; materia est utriusque tractationis, nimirum huius & illius; non tamen naturâ penitus diversâ; si vitam humanam vi suâ subsistentem non variis modis existentem consideres. Apertiùs agam: una eademque est materia Dialecticæ & Rhetoricæ, (ut docent Philosophus & Orator) scilicet quæstio probabilis, diversa tamen fit & non eadem cum diversus tractandi respectus additur: ita virtus, seu vita humana virtute colenda, materia eadem est & tamen diversa, si hîc & illic alio alioque modo consideretur. Levissimum ergo est quod de eodem subiecto eademque materia obiicis: & sanè (si fieri potest) levissimo id levius est, quod de eodem ordine & methodo tractandi virtutem urges. Appello ad scientiam & conscientiam tuam cum utrumque volumen legeris; invenies certè magnum discrimen. Nam ut faber ferrarius & miles eundem gladium uterque tractant, quem quidem ipse respectus in manu utriusque positum diversum subiectum facit: ita Moralis philosophus in Ethicis, & Politicus seu Civilis philosophus hoc in loco eandem segetem virtutis vitęq; humanæ tractantes, diversos tractandi modos & fines habent. Prę-

Aristot. I. Topicorũ. Cic. lib. partit.

tereà, in illis libris ordo Disciplinæ, in his verò ordo Naturæ observatur, Illic enim particularia instituta morum, hîc generalia præcepta vitæ Civilis philosophus tradit. Civilis dico, quia hîc philosophus quasi in portâ civitatis sedens, ingressuris in civitatem axiomata vitæ Civilis sapienter legit. Vitæ Civilis iterum dico, quoniam hic tractatus Magnorum Moralium ad Politicam scientiam & Civilem spectat. Si urgeas ut probem, Respondeo Aristotelem in fronte huius operis disertis verbis hoc ipsum probare. Sic enim sunt ipsius in textu verba. Postquàm de Moribus dicere elegimus, operæprecium fuerit scrutari primùm, cuiusnam facultatis pars, Mos ipse est. Vt igitur paucis perstringam, nullius præterquàm Civilis facultatis pars esse videtur.

Cur hæc pars ad vitam civilẽ spectat.

Rationes addit; unam, quoniam in Civili gubernatione nihil rectè geri potest à quopiam, nisi is sit bonus. Alteram, quia verè prudens & Politicus nemo est, qui virtutes morum neglexerit. Hinc conclusionẽ infert his verbis: Quocirca quod circa mores est negotium & pertractatio, Civilis facultatis pars est: & iterũ; universa hæc tractatio appellationẽ iure sortita est non Moralẽ sed Civilẽ. Quorsum, fortasse dices, hęc omnia ex Aristotele? Certè ut intelligas hanc partem Philosophiæ partim ex Ethicâ partim ex Politicâ scientia constare, & tamen ab utrâque, Subiecto, Naturâ, Ordine plurimùm differre. Nam ut oratio species illa quantitatis

discretę coalescit ex tempore & numero, & tamen nec tempus nec numerus est, sed quiddã disiunctum ab utroq; : ita quidem hæc tractatio seu doctrina Magnorum Moralium constat tûm Ethicis tûm Politicis præceptis, cùm tamẽ nec hæc nec illa scientia dicitur. Intelligo nec hanc nec illam sciẽtiam absolutè nominari, respectu tamẽ magis Civilẽ (cuius pars est) quàm Moralẽ, cum Aristotele nominandam censeo. Cæterùm, ut pars quoq; considerari potest duobus modis; vel comparatè ad totum, vel absolutè per se in proprio officio & facultate sua: Ita hæc disciplina Magnorum Moralium, si ut pars ad Politicam scientiam refertur, rectè Civilis; si verò in se & vi sua consideretur, novam formam, nomen, materiam & officium habet, *Magna*q; *Moralis Scientia* dicitur. *Magna* quidem, non mole & quantitate voluminis (sunt enim in eo duo solùm libri, duóq; & quinquaginta capita) sed *Magna*, ut gemma pretiosa, (tametsi est parva) virtute dicitur. Plus (inquit philosophus) caloris & salis est in mari quàm frigoris & humoris, id est, caloris & salis virtute quàm frigoris & humoris pondere. Sic in hoc opusculo moles parva, virtus magna inest. Quare in eo, non magnitudinem operis sed magnã materiæ virtutis pertractatæ ubertatem, magnamq; auctoris ingenium considerare oportet. Quid restat? Certè ut ostendam non esse absurdum, à Magistro brevitatis eadem nomina sępiùs repeti, imò easdem res, rerumq; themata sę-

Ratio nominis.

piùs tractari, ſi utriuſq; hîc & illic eadem omnino non habeatur ratio. Et ne longiùs abeam, quis ignorat decem prędicamenta à philoſopho inter elementa Dialectices, iterum in Topicis, iterum ac tertiò in Metaphyſicis pertractari? Quis ignorat elementa ſemel in libris de Cœlo, iterum in libris Meteororum, & iterum tandem in libro de Elementis definiri? Sed exemplis ſuperſedebo, ne locis & exemplis ambitioſus videar. Ratio ergo hæc nulla eſt, quâ conantur nonnulli probare hoc opus non fuiſſe Ariſtotelis, quia in eodem & libris Ethicorum crebra earundem rerum & virtutum facta eſt demonſtratio. Mihi crede, (perhumane Lector) facta non eſt inanis aut otioſa repetitio: Primùm, quia eſt rerum optimarum, nempe virtutum, quæ in animis hominum ſatis imprimi & inculcari non poſſunt: Tum quia hic tractatulus eſt quaſi epitome & compendiaria quædam tabula ſeu collectio omnium quæ in Ethicis copioſiùs traduntur: Tum, quia nonnulla hîc ſunt addita & diſcuſſa, quæ illic non ſunt tractata: tum deniq;, quia hîc (ut ſuprà oſtendimus) non eodem modo, ordine & ſenſu traduntur omnia. Nã Ethica ſingulos, hæc epitome multitudinẽ, Politica ſcientia totã civitatem reſpicit. Reſcinditur ergo error opinioque eorum, qui ideò hoc opus Ariſtot. reiiciunt, quia veluti ſpeculum eſt, à quo imagines omniũ quæ ſunt in Ethicis reflectuntur. Quid addam? Synodus Patriarcharum in philoſophia, ab ætate

Frequens virtutis mẽtio optima.

Liber iſte epitome eſt Ethicorũ.

in

in qua philoſophus vixit, approbavit hoc opus; omnes tráſlatores & omnes ferè interpretes agnoſcũt vocẽ, ſtilũ, acumẽ in eo Ariſt. magnę ergo ignorantię & perverſitatis eſt, idipſũ negare. Hactenus de prima cõcluſione hujus capitis, in qua philoſophus docet hãc tractationẽ Magnorũ Moraliũ ad Civilẽ diſciplinam pertinere. Cui opportunè attexui paucula argumenta, quibus revincitur eorũ opinio, qui velint hos libros à catalogo illius operũ obliterari. Analyſis eorũ quæ in hoc capite ſequuntur, hęc eſt. Probat philoſophus inprimis virtutẽ nõ eſſe definiendã ut ſolùm agnoſcatur, ſed ut illius definitę vires, opera & exẽpla in animis mortaliũ altiùs impreſſa vivãt. Hinc refellit Pythagorã, qui virtutes numeros; Socratẽ, qui virtutes ſciẽtias; Platonẽ, qui virtutes idęas definierunt eſſe. Poſtea ſuum ipſius propoſitum et ordinem demõſtrat: nẽpe quòd incepturus ſit à definitione et diviſione Boni, in quo finis huius ſciẽtiæ ponitur. Deinceps hoc ipſum Bonum in abſolutum et comparatum diſtinguit. Poſtremò Pythagoræ, Socratis & Platonis errata, de numeris, ſciẽtiis et idęis accuratiùs diſcutit et refigit, rectéq; vrget, quòd virtus non ſit numerus, ut ſomniavit Pythagoras; quia omnis iuſtitia non eſt par aut impar: quòd non ſit ſcientia, quia virtus in actione, ſcientia in theoriâ et contemplatione ponitur: quòd non ſit Idæa, quia inhærens animi perfectio eſt, Idęa autem forma Metaphyſica & à rebus ipſis ſeiuncta ac ſeparata.

Analyſis huius capitis.

Utrùm opusculum hoc Magnorum Moralium sit ab Aristotele conscriptum?

Probatur opus hoc esse Aristo. 4. rationib.

Cofirmant hoc opus ab Aristotele scriptum fuisse.

Cõsensus ętatũ, à quo Aristoteles vixit.

Iudiciũ optimorũ Trãslatorũ, qui verbũ ex verbo transferentes germanum Aristotelis stilum agnoscunt.

Opinio doctissimorum Interpretum, qui in hoc opere magnum & acre Aristotelis ingenium, acumen, iudicium inveniunt.

Sententia ipsius Aristotelis, qui in Politicis alia Moralia præcepta præter Ethica insinuat.

Opp.

Idem est subiectum horum librorum et Ethicorũ, idem tractandi ordo, eadem enumeratio virtutum, affectuum et vitiorum, eadem demonstratio et cõclusio omnium: Probabile ergo est, hos Aristotelẽ nõ scripsisse, aut saltem nugas egisse in principio petendo. Antecedens constat de subiecto; quia vita humana excolenda virtute est subiectum vtriusq́. Constat etiam de ordine; quia Philosophus & hîc & illic à sũmo Bono definiendo et distinguendo incipit; tum, in quâ parte animi collocantur virtutes et affectus, ostendit. Constat de enumeratione virtutũ et vitiorũ; quia hîc eodẽ ordine ac numero singulas recenset virtutes et affectus, vt in libris Ethicorum. Postremò constat de conclusione; quia non alias hîc & illic virtutum definitiones, non alia præcepta tradit. Concludo ergo aut nugatorium & otiosum esse hoc opus, aut Aristotelem non scripsisse.

Resp.

Aguntur quidem hæc omnia in his & illis libris Ethicorum,

thicorum; sed eodem modo & sensu non aguntur, vt suprà ostendimus. Nam etsi sunt eadem nomina subiecti, virtutum, vitiorum et affectuum in vtróq; opere: Respectus tamen alius aliusq́; est, qui in accidentibus rebusq́; fortuitis aut sæpe forma est, aut formam et essentiam mutat, si ipse mutetur. Mutato ergo respectu horum omnium mutatur sensus. Idem est subiectum nomine, sed re non idem. Quod de subiecto iam dico, de cœteris idipsum dico. Nam subiectum, ordo, demonstratio virtutum in his libris speciem nõ individua, multitudinẽ non singularia, vitæ Civilis communia præcepta, actus et officia, non vitæ Moralis privata ornamenta et instituta spectãt. Quantùm ergo vniversale à singulari, quantùm multitudo à paucicitate, quantùm commune à proprio et privato differunt, tantùm hæc inter se distinguuntur. Mutato respectu mutatur sensus.

Opp.

Si maximum discrimen inter hæc duo opera sit, quia in hoc communis, in illo singularis sit vsus omnium, satis fuisset Aristoteli in conclusione Ethicorum dixisse lectori; Muta respectum ab individuo ad speciẽ, ab vno ad multitudinẽ, à privato ornatu animi ad publicũ virtutis vsum, à vitâ propriâ ad Civilẽ, à paucitate ad civitatem, et tum invenies ex his parvis Moralibus magna præcepta morum. Nam aliter sanè nihil mutari video. Ridiculum ergo est, opus tam superfluum et otiosum Principi philosophorum ascribere.

Resp.

Ridiculum est quod vrges. Nam si hoc satis esset, cur satis esse non putas, si dicam tibi legenti Prædicamenta

menta in Dialecticâ, muta respectum rerum istarum in Ideas, et invenies ex his parvis initiis Metaphysica arcana rerum. Otiose, hoc satis non est, nisi ad rẽ subiectam de quâ agitur accommodentur omnia. In Ethicis Aristoteles te & quemlibet singularem hominem bonum efficere solùm contendit: In his verò libris multitudinem et vitam Civilem subiectam habet, ad eam praecepta dirigit, vocem non mutat, respectum mutat, enumerat easdem virtutes, affectus, vitia, sed aliter accommodat; bonos in Ethicis solùm vitâ, hîc verò et vitâ et officio studiosos conatur reddere. Sed alia est virtus viri, alia officij: in Ethicis unam, nempe virtutem viri, hîc autem utramq; eligit.

Opp.

Virtutes, affectus, vitia definiuntur in vtroq; opere: ergo eodem modo tractantur. Nam una et simplex est natura omnium; una ergo definitio, et una à causis demonstratio.

Resp.

Rerum singularum una est natura, una definitio, unáq; demonstratio absoluta; at istorum omnium duplex est natura. Una Absoluta, altera Respectiva. Nam aliter definitur virtus in praedicamento qualitatis, aliter in praedicamento relationis. Agnosco in vtroq; opere definitiones et demonstrationes virtutum, vitiorum et affectuũ haberi, sed (vt saepe dixi) mutatur respectus.

Natura rerũ duplex. Absoluta. Respecti.

Opp.

Nulli ferè interpretes unquam fuerunt istorum librorum: ergo & fallax est tua probatio in distinctio-

ons

one ab opinione doctissimorum interpretum, quâ armatus vrges hoc opus fuisse Aristotelis. Et absurdum est in illis, quod nemo opus à se ipsis tantoperè laudatum non explanârit.

Resp.

Agnosco paucissimos aut ferè nullos esse (ut ais) interpretes huius operis. Ratio est, quia Ethicis in lucem editis, apertior videtur in his libris philosophus, quàm ut egeat interpretatione. Sed ubi urges me interpretum opinione armatum probare hoc opus fuisse Aristotelis, malè me interpretaris. Nam per interpretes, non expositores huius solius operis, sed illos intelligo, qui diligenti & maturâ deliberatione habitâ hos libros inter opera Aristotelis annumerârunt. Adde etiam, quòd Faber Stapulensis & Georgius Valla (viri non indocti) scholia in hos libros quoq; scripserint, quorum armatus authoritate idipsum assero quod dixi. Sic sive interpretes aliorum operum, sive horum librorum translatores & expositores intelligas, opinione omnium ferè interpretum dico hoc opus fuisse Aristotelis. Qui in hos libros scholia ediderunt.

Argumenta in secundam partem dubitationis.
Vtrum tractatus Magnorum Moralium sit pars Civilis scientiæ, & non Moralis?

Opp.

Tractatus iste est de Moribus, ut ipsum nomen indicat: ergo potiùs ad moralem quàm civilē scientiam pertinet. Argumentum tenet, quia forma (ut aiūt) dat

dat nomen & esse: Ergo si nomen à moribus sortiatur, probabile est rectiùs partem Moralis quàm Civilis scientiæ nominari.

Resp.

Attendendum est non à moribus solùm sed à Magnis Moralibus denominari hoc opus. At Magna Moralia communem non privatum, universalem non singularem, Politicum & Civilem non Moralem usum virtutis docent. Hinc rectè in textu Aristoteles partem Civilis scientiæ non Moralis, hunc tractatum esse conclusit.

Opp.

Sive virtutes moris aut mentis, sive virtutes et affectus viri aut officij spectes, proculdubiò huc tendunt omnia, ut boni viri & cives fiant: Sed hoc opus & officium Moralis philosophia non Civilis sibi ut proprium vendicat: Ergo hæc disciplina quæ præter ista aliud non quærit, potiùs ad Moralem quàm ad Civilem scientiam spectat.

Resp.

Assumptio non est vera simpliciter, sed respectu singularis subiecti. Nam Moralis philosophus & philosophia, individua non speciem, non multitudinem, non civitatẽ spectãt. Prætereà, virtutes mentis (ut aiunt) per accidens & virtutes officij non omnino tractant: At hæc doctrina Magnorum Moralium, quasi medium quiddam inter Ethicam & Politicam disciplinam, virtutes moris & mentis, viri & officij definit; easdemq́, non ad privatum sed ad publicum usum accõmodat. Vnde potiùs Civilis quàm Moralis scientia dicitur.

Magna Moralia quasi medium quiddã inter Ethica & Politica.

CAP.

Cap. II.

An rectè Bonum & Finis dividantur?

QVoniam decretum mihi non est omnia & singula longiore orationis filo aut accuratiore lima disceptationis in his libris persequi, satis me fecisse officio (studiose Lector) putabo, si tui causa brevi argumento & analysi singula capita illustrem, & in illis ea fusiùs obiter pertractē quę in Ethicis omittuntur. Pergam igitur cum philosopho, qui in hoc capite triplicē Boni divisionem & unam Finis ponit. Prima divisio Boni est, ut aliud sit Honorabile, aliud Laudabile, aliud Potestatis, aliud Salubre. Honorabile est ꝙ etiā divinū in textu dicitur, ut mēs, principiū, & id genus alia: Laudabile, ut virtus: Bonū potentiæ, ut dominatus, opulētia, robur: Salubre deniq;, ut firma cōstitutio & causa externa sanitatis, ipsū exercitiū. Secunda divisio Boni, vel potiùs mea quidem opinione superioris quadripartitæ divisionis in bimēbrē reductio est, ut Bonorū aliud sit per se eligibile, aliud verò non; sic honorabilia & laudabilia Bona per se; Bona verò potentiæ & salubria (per quæ Bona corporis & fortunæ intelligimus) nō vi sua, sed per accidens (ut aiunt) sunt eligenda. Tertia & postrema divisio Boni est, ut Bonorum alia sint fines, alia verò non: fines ut sanitas, nō fines ut victus ratio, exercitatio corporis, medicina, quę sunt media sanitatis. Sequitur nunc distinctio

De divisione Boni & Finis.

Boni divisio triplex.

Finis distinctio.

distinctio finis, ut alius sit perfectus, alius imperfectus. Perfectus, cuius accessu, nullo amplius nobis opus est, ut fœlicitas. Imperfectus, quo acquisito aliud quærimus & desideramus. Quid multis? Huc certè hæc tendũt omnia, ut comparatione facta, quæ de bono & fine in Ethicis dicuntur, rectius intelligas. Quippe omnia bona sunt, aut interna, aut externa. Interna sunt, aut absoluta, ut fœlicitas & æterna primæ causæ contemplatio; aut imperfecta seu media, ut virtutes morales, quibus sitis humanæ voluntatis in appetendo non extinguitur & sedatur. Externa autem sunt, ut illa fortunæ quæ fluunt & refluũt cum Euripo, si illis virtus non dominetur; & hęc corporis quæ umbræ sunt, si iisdem animus ratione & prudentia non præsit. Summa hęc est totius capitis: pauca nunc addam de scholastico & Academico usu, & sic ad alia discutienda veniã.

Aristoteles lib. 1. Ethic. capit. 8. & lib. 10. c. 8.

Opp.

Frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora: ergo malè dividitur hoc loco bonum per quatuor mẽbra, cũ in ethicis solũ duobus rectissimè distinguitur.

Li. 1. Ethic. cap. 6. et li. 7. cap. 12.

Resp.

Frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora, nisi, vt hoc in loco, explicationis causâ hoc ipsum fiat.

Opp.

Res divina, vt Deus, spiritus, anima, hic inter bona honorabilia inprimis enumerantur: sed ad hoc institutum nihil pertinet de rebus divinis agere: ergo nõ rectè & appositè de bono hic egit philosophus.

Resp.

Resp.

Cum honor sit in excellentis boni signum exhibita alicui reverentia, impium est res divinas ab honore excludere. Sed aliquid est quod urges; nempe res humanas, non divinas hic demonstrari. Dico igitur (quod sæpè dixi) Aristot. nos exemplis semper ad altiora trahere: nã etsi in Ethicis, his libris et Politicis moralia solùm et civilia præcepta ac instituta vitæ tradit, digito tamẽ sæpe cœlum et stellas, et supra hæc Deum et spiritus ostendit; quibus non mutabilem sed essentialẽ (ut ita dicam) honorem attribuendum existimat, sicut in Metaphysicis apertè docet. Cũ ergo hoc loco divisit philosophus bonum honorabile in divinum vi suâ, per quod procul dubio Deum; et in divinum per participationem, quo verbo spiritus cœlestes, animosq́ humanos intelligit: eò tendit, ut omnia nostra officia studiaq́ virtutum ad divinum principiũ, nempe Deum, et ad divinum subiectum, nempe animum humanum (verissimi honoris sedes et specula,) referamus.

12. Metaph. Divinum bonum duplex.

Opp.

Omne ens melius et antiquius, est bonum honorabile, ut docet Aristoteles in textu: rationem ergo nõ video, cur virtutem inter bona honorabilia non enumeret: imò iniustus est, qui excludit.

Resp.

Omne ens melius aut per se, ut Deus, aut respectu alterius deterioris, ut anima respectu corporis, bonum honorabile dicitur, et sic hoc loco non excludit virtutẽ; virtuti autem honorem non attribuit philosophus, ut cum fœlicitate comparatur: quippe laus virtuti, honor fœlicitati debetur ut proprium.

1. Ethic. cap. 12.

Opp.

Opp.

Finis cuiuslibet rei perfectio dicitur: ergo male dividitur Finis in Perfectum & Imperfectum; quasi finis aliquis sit imperfectio rerum.

Resp.

Finis omnis est perfectus & perfectio quoq; rei cuius est, (si cum re solâ cuius est finis comparetur:) at si ad ulteriorem referatur finem, rectè medius finis & imperfectus dicatur.

Cap. III.

An Bona Animi rectè in prudentiam, virtutem, et voluptatem divisa sint?

De Animi Bonis & eorum distinctione.

IN tertio hoc capite alia Bonorum divisio traditur, eademq; vulgaris, nempe, quòd Bonorum alia sint Animę, ut virtutes; alia Corporis, ut sanitas & pulchritudo; alia Fortunæ, ut divitiæ, amici, honor, (honorem externum non internum illum fœlicitatis proprium intelligit.) Horum bonorum optima sunt illa Animæ, quia divina; proximè his accedunt Naturę bona, quia fortuitis sunt firmiora. Fortuita verò bona, bonorum nomē vix bene merentur, cùm sole virtutis absente cadant, suâq; vi potiùs ad malum, quàm ad bonum, ad perniciem quàm ad salutē trahunt. Emergit hinc prima Bonorum in Anima positorum luculenta divisio, nimirum, in prudentiam, virtutem & voluptatem; quibus ut præmium & scopus bene agendi in hac vitâ annectitur beatitudo. Prudentia dirigit & definit

Distinctio bonorum in animâ positorum.

nit quid ſit agendum; virtus exequitur quod di-ctavit prudentia; voluptas rectè agentibus ſpiritus quaſi novos vireſq; addit, ne tædio itineris defatigati mortales virtutis relinquant opus. Fœlicitas laboris & virtutis præmium, nempe perpetuum honorem pollicetur. Per prudentiam, rectam rationem; per virtutem, tum moralē tum civilem habitum & ornatum animi; per voluptatem, veram in actionibus virtutum delectationem intellige. Huc adde quod Ariſtoteles in textu addit, nimirū fœlicitatem nō eſſe otiosum finem, ſed eſſe ipſam virtutis vitam & actionē. Nam ita eſt in eâ quies, ut in viſu ſomnus: ita eſt in eâ perpetua & delectabilis actio, ut in viſu perpetua & activa videndi potentia. Quare ut nemo appetit oculos ad connivendū aut dormiendum ſolùm, ſed ut etiam rerum obiecta videat: ita nemo, ut ſit otioſus, expetit fœlicitatem, ſed ut bene agendo fœliciter vivat & fœliciter vivēdo perpetuò cōquieſcat. Quies enim non in otio ut in domo extructâ, ſed in honeſtæ vitæ actione ut in uſu domus extructæ cernitur.

Idem 1. Ethic. ca. 8. Fœlicitas non eſt otioſus finis.

Diſtinctio quæſtionis.

Ad vitam tā Moralem quàm Civi-
- Directio, ad quam requiruntur
  - Præmeditatio ſeu conſilium:
  - Recta ratio & moderatio: quæ omnia nobis ſuppeditat prudentia.
- Actio, quæ in operis executione cernitur, & hoc propriè virtus præſtat.
- Actionis conſtantia, cuius ſola nuttix eſt

 lem

lem requiruntur quatuor: | vera virtutis dilectio & in eâ delectatio.
Remuneratio, quæ aut { Inhæret & possidetur, ut fœlicitas. Influit & attribuitur, ut honor internus qui fœlicitatem sequitur.

Opp.

Deficit hæc divisio: ergo malè traditur. Antecedēs probo: quia inter bona animi, bona potentiæ, in quibus virtutes moris mentisq; sunt, annumerantur in Ethicis, de quibus hoc loco nulla facta est mentio.

Resp.

2. Ethi. c. 5. *Erras; nam potentiæ inter ea quæ sunt in animo referuntur, at neq; bona neq; mala animi dicuntur, quia neq; ab illis neq; ab affectibus boni aut mali denominamur, ut illic docet philosophus. Si urgeas eo sensu dici bona, quo anima ipsa in superiore capite dicatur bonum, cùm potentiæ primæ animæ sunt eædem cum anima, ut docet philosophus in libris de Anima; respondeo tùm quidem bona esse eademq; interna, sed nō externa de quibus solùm hoc loco agitur.*

Opp.

Virtus & prudentia naturâ non differunt, cū prudentia sit virtutis species: sed membra dividentia debent esse opposita: ergo non rectè in virtutem & prudentiam hæc bonorum in animo facta est divisio.

Resp.

Prudentia est species virtutis in mente, non in appetitu & voluntate posita; & sic diversa est & distincta à morali virtute, quā hîc intelligit philosophus. Vel, si placet, respondeo in accidentiū divisionibus non semper

requi-

requiri hanc maximam oppositionem rerum, modò in officio, usu & fine differãt: ut hæc inter se distinctè differunt, cũ eorũ singula ad diversa & distincta officia destinantur.

Opp.

Voluptas nõ est bonũ omnino: ergo non est bonũ animi. Antecedens est Arist. in 2. & 7. Ethic. ubi probat nullum affectum, & nominatim voluptatem, esse bonũ. Præterea voluptas cum sit affectus est in appetitu, non in eâ parte animi cuius bona hoc loco dividuntur. 2. Eth. ca. 3. 7. Eth. c. 14.

Resp.

Voluptas capitur 2. modis: vel intrinsecùs, et sic est affectio animi nata cum virtute eiusdemq; actionibus enutrita; vel extrinsecùs, et sic est sensibilis passio sensibus & appetitu terminata. Illa virtutis semper comes est; hæc bellua & socia vitiorum, quæ, nisi habenis virtutis refrenetur, prorumpit semper in malũ, & ad contagionem vitiorum rapit. Quid multis? Illa voluptas bonum quiddam est, causaq; boni, rectéq; inter animi bona hîc reponitur. Voluptas duplex: extrinseca. intrinseca.

CAP. IIII.

An fœlicitatis Subiectum debeat esse perpetuum?

DIvisionem boni & finis sequitur quædã de optimo bono & fine, scilicet de fœlicitate, disceptatio auditoribus moralis philosophiæ nõ ignota: nẽpe ꝙ fœlicitas in actione sola virtutis consistat, & ideò dignissimâ in parte animi tanquã in arce excelsa & fortunæ scopulis nõ obiecta sedeat. Rẽ totã verbo perstringã. Animus (ut hîc docet philosophꝰ) est tãquã artifex, virtus autẽ in eo tanquã opus: sed ut artifex potest se ad plura quàm ad opus, ꝙ fecerit, accõmodare; ita De fœlicitate et eiusdẽ subiecto.

potest animus non solùm ad virtutē sed ad contraria & repugnantia virtuti se vertere. Vivere quidem per se potest, vegetare, movere, intelligere; at bene vivere absq; virtute non omnino potest. Cæterùm cum bene vivere & bene agere nihil aliud dicimus quàm beatum esse, constat fœlicitatem in sola actione virtutis & non in otioso habitu aut contemplatione mentis vivere. Infantes ergo, pueri, & inexperti iuvenes, qui adhuc vix limina virtutis attigerint, verè beati esse non possunt: est enim fœlicitas perfectio virtutis, & se solùm perfectis ætate, iudicio, vita offert. Postremò non solùm est actio perfecta sed perpetua actio, idq; in vita perfecta. Perpetua; ergo requiritur ut eiusdem subiectum non dormiat, sed semper se veluti cum coelo circa firmissimum virtutis centrum in gyros vertat. Hoc subiectum quasi stella coeli est, nempe mens humana, quæ natura sua existens divina, nunquā est otiosa, nunquam dormit. Anima verò nutrix, aliæq; facultates animæ sine somno requieq; alterna pereunt, perinde ut in textu hîc concludit philosophus, beatæ non sunt nec ipsę beatos faciunt. His positis de fœlicitate, virtutis subiectum, nō aliter quàm in Ethicis, insinuat appetitum esse. Sed per appetitum hîc, ut illic, voluntatem intelligimus. Nam virtus moralis inchoatè in appetitu, perfectè in voluntate inest. Gema enim rationis, qualis est virtus, in arce mentis, non in spelunca appetitus sedet.

Fœlicitas quibus convenit.

Mens proprium est subiectum fœlicitatis.

Virtutis subiectum est appetitus.

Opp.

Opp.

Inter fœlicitatem theoricam & practicam hoc interest, quòd illa semper, hæc nō semper maneat: ergo ad hanc frustra requiritur ut sit perpetua, sitq́; in immortali subiecto.

Resp.

Fœlicitas activa & contemplativa non in essentiâ sed in modo existentiæ differunt. Quare etsi activa desinit quoad transeuntem actionem (cum homo beatus moritur,) quoad immanētem tamē actionem perpetuò manet.

Fœlicitas activa ratione solùm à contemplativa differt.

Opp.

Dormiens non desinit esse fœlix; nam somnus non est ligatio aut privatio virtutis sed sensus: ergo malè docet philosophus dormientes non posse beatos esse.

Resp.

Malè tu quidem interpretaris textum: quippe nec hîc nec in Ethicis negat dormientibus fœlicitatē; sed hoc ostendit, quòd fœlicitas non possit in illis animi facultatibus latêre, quas mors & somnus opprimere et occupare possunt, quales sunt irrationales omnes potentiæ animæ, quæ somno reficiuntur: at pars illa, in quâ fœlicitas vivit, semper vigilat.

Fœlix naturaliter somno refici potest.

Cap. V.

An sapiens iure laudetur? vel, An sit laudabilis?

De distributione animæ in suas partes, & de causis corrumpēdi virtutes.

Cū mentio facta est de anima, in cuius potētiis & partib⁹, virtutes earūq́; perfectio fœlicitas, sedēt, hîc opportunè eādē in duas partes dividit philosophus; nimirū, in rationalē & rationis

Virtus mẽtis per se nõ meretur laudem.

onis expertem. In illa virtutes mentis, in hac virtutes moris collocat. Virtutibus mẽtis per se nullã laudẽ, virtutibus autẽ moris laudẽ tanquã propriam mercedẽ tribuit. Hinc, ne ista laus & præmiũ virtutis à nobis amittatur, cautionem & cõsilium adhibet, ne semel adepti virtutẽ ad hanc vel ad illam declinemus partem. Nam ut nimio, inquit, exercitio aut ejusdem defectu, corporis vires languent: & iterum; ut crapulâ & nimia ingurgitatione, (qua hodiè multi) aut longâ abstinentiâ (qua hodiè perpauci delinquunt) sanitas labefactatur: ita virtutes moris excessu & defectu corrũpuntur, mediocri autẽ cõservantur usu. Exempli causa, si quispiam sit ita interritus ut Deum non timeat, non fortis sed insanus; si verò sit ita meticulosus ut extimescat omnia, non fortis sed pusillanimus & abiectus dicitur.

Opp.

Cap. 13. Cap. 34.

In fine primi libri Ethicorum hæc habet verba philosophus: laudemus, inquit, sapientem: & iterum sub finem huius libri, laudandos esse prudentes concludit, quia prudentia est virtus: ergo haud sapienter & prudenter hoc loco idipsum negat.

Resp.

Virtutes mentis laudantur per accidẽs

Virtutes mentis, quibus hoc loco negat laudem philosopus, considerantur bifariam: aut pro viribus & potẽtiis animi, quibus homo disponitur magis ad usũ rationis, & sic nõ sunt laudabiles; vel pro habitibus mentis nõ vi naturæ sed studio acquisitis, et sic iure laudãtur suo: nõ autẽ per se, sed quatenus cũ virtutibus morum copulantur, quæ solum bonos & laudabiles per se

se efficiunt.

Opp.

Omnes & singulæ virtutes mẽtis in textu enumerantur, nempe, Ars, scientia, solertia, prudentia, & sapientia: probabile ergo est per illos, habitus animi nõ potentias intelligi.

Resp.

Attende quòd non iisdem nominibus appellentur in textu quibus tu uteris: nomina enim illic potentiæ magis quàm actus, magis dispositionis quàm habitus adhibentur; ut prudentia, sapientia, ingeniũ, docilitas & memoria. Sed neq; hoc vel illo modo per se & vi suâ virtutes mentis dilaudantur.

Opp.

Sapientia, prudentia, aliæq; virtutes mentis in diviniore animi parte insunt, & circa diviniorem materiam seu obiectum versantur, & ad nobiliorẽ referuntur finem, quàm morales virtutes: ergo absurdissimũ est, quod ais, nullam has virtutes per se & vi suâ mereri laudem. Antecedens constat in comparatione virtutum utriusq; generis. Nã virtutes mentis partem animi rationis compotem; virtutes moris partẽ animi penitus rationis expertem suum subiectum habent. Iterum, virtutes mentis æternam veritatem; virtutes moris instabile fortunæ bonum obiectum proprium vendicant: ut fortitudo periculum, liberalitas pecuniam, magnificentia imperium; quæ omnia non citiùs eminent fortunatis, quàm cum infortunatis pereunt. Postremò, virtutes mentis ad theoricam fœlicitatem, (quæ nunquam;) virtutes autem moris ad activam fœlicitatem (quæ citò labitur) referuntur.

Virtutum mentis cõparatio.

Resp.

Laus duplex est; divina, & humana: illa virtutibus mentis (si perfectæ et absolutæ alicui insunt) iure debetur: humana verò, de quâ hoc loco solùm agitur, (quæ nihil aliud est quàm debita populi reverentia alicui bene viventi attributa) per se & vi suâ non debetur. Nam populus non laudat viros quia multa sapiunt, sed quia rectè vivunt. Divinitas ergo subiecti, obiecti, aut finis, circa quæ versantur virtutes mẽtis, nõ prudentes aut sapientes bonos facit, sed solũmodo actio virtutis moralis hoc ipsum præstat. Atq; vt cõcludam paucis: quamvis verum sit, quod obijcis, nempe partẽ illam animi, in quâ virtutes moris insunt, ratione carere, ita tamen caret, vt tanquam obediens filia rationi obtẽperet, et mandata prudentiæ exequatur. Quod addis de mutabilibus fortunæ bonis, nihil est et contra teipsum facit. Nam maioris laudis est refrænare fortunam, quàm neminem repugnantem vincere. At virtutes mentis nihil cũ scopulis fortunæ et affectibus cõmercij habẽt; morales verò bellũ semper cũ illis gerũt.

Sola moralis virtutis actio facit bonos.

Opp.

Prudentia laudem singulis virtutum actionibus tribuit, et quantùm laudis vnusquisq; meretur, ipsa solùm diiudicat: iniustus ergo videtur philosophus, qui prudentes laudibus non exornat.

Resp.

Prudentia consideratur duobus modis: vel pro habitu præscribendi circumstantias in actionibus virtutum, moderationeq; affectum, et sic moralis est, nec nõ meretur laudem: vel solùm pro rectâ ratione in disquisitione veri à falso, et sic est simpliciter virtus mentis,

Prudentia aliquo sensu virtus moralis dicitur.

et

& per se laudem non vendicat.

Cap. VI.

An Virtus versatur circa voluptates & dolores?

TRia in hoc capite docet philosophus, quæ satis in Ethicis demonstrantur; nimirũ, virtutem morum circa voluptatem & dolorẽ versari; eandem non facilè sed difficulter acquiri: & proinde nullo modo nobis à naturâ inesse aut concedi. Primum constat; quia nihil magis aut vehementius castra virtutis invadit, quàm affectus: necesse est ergo ut se strenuè muniat virtus, quo omnes animi affectus repellat, eosq; sibi subigat ad usum vitæ & civitatis. Alterum confirmat Aristoteles ab ipso huius scientię nomine. Nam mores à morâ Græci deduxerunt, quia longam moram & summam industriam acquisitio virtutis postulat. Postremum concludit philosophus ratione & exemplis; quia naturâ quę insunt nobis, nõ possunt aliter assuescere, ut lapides nunquã vi sua sursum volare doceas, nec flammas deorsum, quia contrarium utriq; natura in ortu utriusq; dedit: at virtutes aliter possunt se habere, & sæpe commutari in contraria vitia: ergo virtutes non insunt à natura.

De affectibus circa quos versatur virtus.

ἦθος ἀπὸ τοῦ ἔθους, ut Arist. lib. 2. Ethic. c. 1.

Opp.

Voluptas et dolor nec principia, nec subiecta, nec obiecta, nec fines virtutum sunt: ergo circa illa non versantur. Antecedens probatur, quia principia virtutũ, sunt animæ potentiæ; subiecta, mens & voluntas; obiecta

Virtutis principia subiecta obiecta fines quæ sunt.

iecta res ipsæ externæ corporis et fortunæ, fines perpetua actio aut perennis contemplatio virtutis.

Resp.

Voluptas et dolor obiecta virtutum sunt non propria sed communia, sub quibus alij affectus, vt spes et metus, continentur. Nominantur autem hi duo solùm, quia voluptas aut dolor omnē moralē actionē sequitur.

Opp.

7. Lib. Ethicorū, cap. 7. 8. 9. *Voluptas est proprium obiectum continentiæ: ergo non est commune obiectū omniū virtutū. Præterea voluptas vitium est, quia homines vitiosos facit: sed vitium est oppositum virtuti: ergo non est obiectū virtutis.*

Cap. 9.

Resp.

Continentiæ obiectū est voluptas. *Voluptas formaliter sumpta pro effusione animi vel in fruitione vel in expectatione boni, non est obiectum continentiæ; materialiter autem capta ex rebus iucūdis tactu apprehensis, proprium obiectū dicitur. Ad alteram partē argumenti dico, voluptatē pro libidine sūptam vitiū esse, pro affectu autē & stimulo ad malum acceptam vitium non esse, nec vitiosos efficere.*

Voluptas quomodo vitiosa.

Cap. VII.

An Affectus, potentiæ, habitus rectè assignentur?

De his quæ sunt in animo, nimirum, de affectu, potentia, habitu.

AD certiorē viam et rationē rectè definiēdi virtutē, operæ preciū est quę sunt in animo paucis perstringere, vt ex illis aliqua decerpantur, quibus accuratiùs definiatur virtus. In animo ergo, ut hîc docet philosophus, tria sunt, affectus, potentiæ, habitus. Affectus naturales motus seu passiones animi definiri possunt, quibus

quibus veluti aculeis ad bonum vel malum incitemur: ad bonum si moderationẽ rationis, ad malũ si delectationem sensus sequamur. Tales sunt spes, metus, voluptas, dolor, odium, amor, verecundia, impudentia et his similia. Potentiæ sunt naturales facultates animi, quibus tanquam igniculis facti propensi sumus et dociles ad bonum vel malum. Magis autem ad bonum, quia hæ potentiæ sunt virtutum semina, et quia ipsum bonum est proprium obiectum voluntatis ad quod vi suæ ipsius naturæ fertur: corrupta tamen sæpe inclinat ad malum, maliq; gustu inficitur, et immoderato eiusdem appetitu suffocatur. Habitus deniq; sunt dotes et qualitates animi multis actionibus acquisitæ. Comparatione iam factâ, virtus non est affectus, non est potentia; ergo virtus habitus esse definitur. Non est affectus vel potentia, quia à natura non datur: est ergo habitus, quia acquiritur.

Affectus, potẽtia, habitus animi definiuntur.

Opp.

Affectus in hoc capite laudabiles dicuntur: ergo virtus per affectum definiri potest.

Resp.

Affectus quidam propter imitationem et similitudinem virtutis dicuntur laudabiles, non quòd sic sint per se, sed quòd ratione virtutis (cui veluti pedissequæ ancillantur) vmbram laudis consequuntur, vt verecundia, amicitia, aliiq; mediocres affectus his cognati, quibus alij affectus quasi vitia virtutibus opponũtur.

Affectus quomodo laudabiles.

Opp.

Affectus et potentia veluti aculei et stimuli sunt vel

ad

ad bonum vel malum: ergo non videntur definitionibus suis satis distingui & separari.

Resp.

Affectus & potentiæ utilis distinctio.

3. Phys. c. 2. text. 15.

Affectus per motum, potentia per inclinationem vocemq́; potentia definitur. In affectu flamma est, in potentia fomes. Est enim affectus actus quidam, potentia verò dispositio, (& ut cũ veteribus loquar) habilitas ad actum dicitur. Cum actum dico, actum inchoatum intelligo, non perfectum. Nam sic motum Aristoteles in physicis definivit.

Cap. VIII.

An Affectuum extremorum ulla sit in excessu & defectu moderatio?

De distinctione habitus in bonum & malum.

Virtus moralis quid.

Adulterii reprehensio.

VT adhuc meliùs definiatur virtus, habitum in bonum & malũ distinguit philosophus. Bonus habitus definitur, qui neque ad exuperationem, neq; ad defectionem in affectibus moderandis se omnino deflectit. Hinc nata est mediocritas, aurea illa regula & forma virtutis: unde rectè definiri potest nunc virtus, habitus bonus voluntatis in mediocritate consistens, cuius individua comes laus est, & finis beatitudo. Huic addit philosophus, quòd sint quidam affectus tã atroces & truculenti, ut excessum aut defectum mali in illis quęrere nemo inter sapientes debet. Tales sunt inveteratum odium, furor, impudentia. Sed Aristotelis exemplum in textu est fœdissima labes vitæ & famæ, nempe adulterium: cuius, ut hîc ait, nulla esse aut inveniri potest mode-

moderatio. Nā sive adulter nobilē sive infimæ cōditionis fœminā cōpresserit, nō magis aut minùs cū hac quàm cū illa adulter dicitur. Vtrinq; mōstrū est, qui naturę vinculū, unitatē & fœdus violaverit. Oratio adulteri nulla est, excusatio adulterii nulla, nulla moderatio sceleris. Fœda voluptas infecit mundū, libido flāmas auxit, licētia vitæ incendiū fecit: nihil ergo iā superest nisi incēdiū. Sed hîc me reprimā, ne forsan incēdiū gehēnę nominē.

Distinctio affectuum.

Affectus sunt, aut
- Moderati, in quibus est excessus vel defectus.
- Extremi, qui considerantur bifariam: aut
  - Quoad dispositionem seu motū in illis, & sic suum excessum & defectum habere possunt.
  - Quoad actū illorū vi partū, & sic in illis excessus & defectus est nulla moderatio: ut in adulterio, furto, & homicidio cernitur.

Opp.

Peccata non sunt æqualia secundùm Aristotelem: ergo extremi affectus materialiter pro adulterio, furto, homicidio aliisq; malefactis sumpti excessum & defectum habere possunt. 2. Ethi. c. 6.

Resp.

Facta, in quæ extremi affectus prorūpunt, ut adulteriū, quod immanis libido parit; & homicidiū, in quod atrox invidia desinit; hæc, inquam, facta considerari possunt duobus modis: vel per se in naturâ mali quod committitur, & sic nullā excessus aut defectus moderationem habent: vel per accidens respectu loci, personæ, aliarumq; circumstantiarum, et sic trutina iustitiæ ponderata intentionem & remissionem sortiuntur.

Opp.

Opp.

Adulteriū aliaq; permulta vitia ſunt ipſi exceſſus: ergo exceſſum habere non poſſunt. Nam extrema in eodem genere alia extremitate non ſuperantur.

Reſp.

Verum eſt in eodem genere ſuperari non poſſe. At ſi cum aliis conferrantur, magis & minùs poſſunt ſuſcipere.

Cap. IX.

An Virtus magis uni extremorum opponatur quàm alteri?

De oppoſitione virtutum & extremorum.

IN Ethicis res ſatis nota eſt virtutem utrinque duobus extremis concludi, & eorū uni magis quàm alteri eandē opponi. Sic fortitudo inter timorē & audaciā: ſic liberalitas inter prodigalitatē & avaritiā: ſic alię omnes virtutes inter ſua extrema veluti circulorū puncta in medio pendent. At huic medio nunc exceſſus nunc defectus magis vel natura ſua, vel reſpectu cōſuetudinis & infirmitatis noſtrę opponitur. Naturâ ſuâ ſic avaritia magis opponitur liberalitati quā prodigalitas, cū illius quā huius ſit difficilior ad mediū reductio. Reſpectu cōſuetudinis aut infirmitatis noſtrę; ſic illud vitiū ſemper habendum eſt magis infeſtū virtuti, ad quod vel conſuetudine vitæ, vel infirmitate naturæ noſtræ magis propēſi ſumus: & ſic aliquando id vitiū quod naturâ minùs repugnat virtuti, eidem magis opponitur reſpectu noſtri. Hinc infert Philoſophus illud, ꝙ difficil-

Virtus opponitur extremis bifariam.

difficilimum sit studiosum esse; tũ cõparatione habita propensionis nostrę ad malum, tum etiã ratione posita extremorum malorumque affectuum, quibus iter ad virtutẽ longum & arduũ redditur, tum deniq; , quia medium seu scopũ in omni arte invenire solum sapientibus contingit. Quod similitudine centri et circuli in geometria demonstrat Philosophus. Cæterùm non obstantibus his impedimentis, virtutes earumque actiones positas esse in nostra potestate hîc cõtra Socratem defendit. Nam aliter, vt docet, iniqui essent legũlatores qui multos pœna plectunt, & ad virtutem præmiis alliciunt cives.

Virtus difficilimè acquiritur.

Opp.

Virtus medium et æquale dicitur respectu vitiorũ: ergo vnum extremorum nõ magis ei opponitur quã alterũ. Antecedens est Aristotelis, 2. & 5. Ethicorũ.

Resp.

Virtus est medium seu æquale proportionis, non põderis; geometricum, vt aiunt, non arithmeticum, vt in Ethicis docuimus. Li. 2. cap. 6.

Opp.

Respectus naturam rerum oppositarum nõ mutat: ergo respectus consuetudinis aut infirmitatis nostræ res inter se vi sua oppositas secundum magis & minùs differre non facit. Antecedens constat, quia respectus essentiam solùm mutat in relatis, non in absolutis, qualia sunt extrema virtutibus opposita.

Resp.

Respectus hic quidẽ non mutat essentiam extremorum, sed rationẽ & modũ in declinatione mali et acquisitione

quisitione boni. Sic in essentiâ rerum non est mutatio, sed maior aut minor oppositio pro consuetudine aut infirmitate vitæ, quæ nobis nunc hæc, nunc illa vitia familiaria reddit.

Cap. X. & XI.

An homo sit Principium suarum actionum?

De principiis virtutis cum aliis rerum principiis comparatis.

DVabus de causis hæc duo capita coniungo: Vna est, quia illorum prius sine posteriore rectè intelligi non potest; altera, quia res quæ in utroq; attingitur, in calce præcedentis capitis contra Socratem tractata fuerit. Materia utriusq; axioma illud est Peripateticorum: In nostra potestate positum est ut simus boni vel mali. Res hæc tota Physicè & Mathematicè in capite priore agitur, idq; hoc modo. Omnis substantia Physica sui similis eiusdemq; speciei causa productrix est: ut in plantis & animantibus constat. Nam vis quædam est innata seminibus mandatis terræ, consimilem specie procreandi plantam; leoq; leonem, homo hominem inter animalia gignit. Huic axiomati hoc addit philosophus, quòd res Physica non solum rem similem specie, sed etiam omnium suarum proprietatum participem sociamq; progignit. Natura enim magnifica est, & gravida, non solùm filias, id est, effecta parit, sed etiam iisdem suas dotes, vires & proprietates libenter concedit. Sic mater omnibus, noverca nullis habetur natura. Probat hoc ipsum philosophus exemplis Geometricis,

Natura nullis est noverca.

metricis, in quibus alia ſe habent ut principia, alia ut effecta.. Principium eſt, exempli cauſa, triangulus; quadrangulus effectus. Vt ergo triangulus angulos ſuos omnes habet duobus rectis ęquales: ita quadrãgulus ſuos etiã angulos rectis quatuor habebit ęquales. Quorſũ hæc õnia? Vt intelligas ea quæ in undecimo capite per cõparationẽ rerũ naturaliũ & moraliũ dicũtur. Nã hactenus de his quæ capite decimo aguntur diximus. Vides probatum iam eſſe hunc aphoriſmum philoſophorum, quòd res quęlibet nata eſt ad rem ſibi cognatam & affinem ſpecie producendam. Eſto igitur, homo hominem producit, hic homo (excellens naturæ opus) animal rationis capax definitur. Sic definitus homo otioſus non dormit: quippe natus eſt ut agat. Quare ut naturaliter eſt aptus ex certis principiis & cauſis ad procreandam eſſentialem ſui imaginẽ in ſubſtantia: ita moraliter neceſſe eſt ut auctor & principium ſit ſuarum actionum quæ delectu & conſilio producuntur. Aliter, quorſum data eſt mens homini? quorſum voluntas? quorſum aliæ divinæ facultates vireſq; activæ ſeminibus actionũ quaſi refertæ? Quid? An cauſæ ſunt, & non producunt? An matres & non pariunt? fieri certe non poteſt. Sunt ergo mens & voluntas principia agendi in homine, eſtq; ipſe homo ſuarum actionum, ut loquar cum Ariſtotele, auctor & cauſa. Quare concludit philoſophus ſitũ eſſe in homine, ut actionibus ſuis fiat vel bonus vel malus: quippe ſedet ad puppim navis;

Cap. 11. de homine principio ſuarum actionum.

 libe-

Liberum ergo est, vel ad scopulum allidere, vel in portum fœlicitatis navigare.

Distinctio quæstionis:

Principium actionum moralium est duplex: vel
- Divinum, & hoc solùm Deus est, à quo aliæ omnes secundæ causæ & rerum & actionum pendent.
- Humanum, idemq; vel
  - Internum, quod est vel
    - Remotũ, ut ipsa anima in suâ substantiâ.
    - Proximum, ut voluntas & intellectus, quæ sunt partes animæ.
  - Externũ, ideq; vel
    - Cõmune, ut cõsultatio quid agendum.
    - Proprium, ut electio melioris.

Opp.

Nulla facta est mentio hominis in hâc distinctione: ergo nihil spectat ad quæstionem, in quâ quæritur, an homo sit principium suarum actionem.

Resp.

Quomodo homo est principium suarum actionum.

Et si expressa non est hominis mẽtio, tamẽ sub his omnib⁹ homo necessariò intelligitur; maximè verò sub nomine animæ humanæ, quæ est forma hominis. Nã homo dicitur principium actionum suarum secundùm animam.

Opp.

Aristoteles nunquam Deum nostrarum actionũ causam & authorem posuit: ergo otiosè in hâc distinctione hæc causa fingitur.

Resp.

8. Phys. cap. 6. & seq. Deus infinitus secundum Aristotelem.

Erras; nam sæpissimè hoc agit, ut in 8. Physicorũ, ubi primum æternum & infinitum motorem Deũ appellat, quia omnia semper facilè & potenter movet: et in Metaphysicorũ tribus illis postremis libris, ubi Deum unum,

unum, immensum, infinitū, ens entium appellat, à quo omnes rerum omniū essentiæ pendent, & in quo, ut illic ait, movētur omnia. Nihil hic dico ex libro de Mūdo, in quo philosophus religiosè de Deo loquitur.

Opp.

Si homo sit liberū suarū actionū principiū, tū unusquisq; potest verissimè hoc dicere, In meâ potestate est ut sim iustus; ergo volo esse iustissimus, similiter volo esse prudentissimus, volo esse optimus: sed hoc absurdū est dicere, ut ait in textu Aristoteles; quia sic esse cuivis non datur: ergo fieri non potest ut sit liberum principium suarum actionum.

Resp.

Respondet Aristoteles huic obiectioni in textu quâdā similitudine hoc modo: Vt alicui datur pulchra constitutio corporis, quā ad tempus rectâ exercitatione potest conservare, eandem tamen pulcherrimam semper, cum velit, efficere non potest; quia à principio constitutionis aliquid defuerit quò minus talis esset: Ita quāvis aliquis apud se proposuerit iustissimum aut prudētissimum fieri, sæpè tamen de spe, opinione, & proposito decidit suo; quia aliquid in ipso exortu fortasse defuit, quò minùs tantam perfectionem consequeretur. Nam ut ad fertilissimum agrum aut ingenium faciendū, nō solùm opera & industria hominis requiritur, sed etiam fertilitas soli, feracitasq; ingenij; ita præter studium nostrum, ad virtutem propensio naturalis requiritur, ut in iustitiâ aut prudentiâ excellentes simus.

Virtus est in nostra potestate, & tamē quisq; cum velit non potest esse studiosus.

Opp.

Hoc simile nō tenet in textu. Nā optimæ cōstitutionis, sanitatis, aut pulchritudinis principia et proprietates in

nostrâ potestate non sunt: sed principia virtutum & actionum nostrarũ in nostra potestate sunt, vt hîc probat philosophus: ergo hoc responsum non valet. Antecedens probatur, quia principia constitutionis humanæ, sanitatis & pulchritudinis sunt naturalia, nutuq́; voluntatis aut imperium mentis non sequuntur. At principia moralium actionum sunt mens, voluntas, consultatio & electio, vt suprà docuimus: quæ omnia hominis sceptro et imperio subsunt.

Resp.

Indispositiones, sive naturales impotentiæ sunt impedimenta moralium actionum.

Aliquid est quod vrges: sed attende, quòd hîc per impedimenta, quibus à perfectione virtutis & voluntatis nostræ sæpissimè retardemur, Aristoteles intelligat naturales quasdam corporis impotentias & infirmitates, quas veteres indispositiones solent appellare. Hæ, inquam, in multis quasi tricæ sunt & nubes, quibus mens & voluntas impediuntur, quò minus votis in optimo statu virtutis perfruantur, perfectionemq́; illam attingant, ad quam ambabus (vt aiunt) alis enixæ fuerunt convolare.

Cap. XII. & XIII.

An sponte fiant quæ cupiditate, irâ, alióve affectu à nobis fiunt?

De his quæ sponte vel invitè à nobis fiunt.

Cohærẽt hæc duo capita ut alia duo quę prę-cesserunt, unamq; segetem & materiã habent. Quæ uberiùs tractata plurimũ certè lucis modò disputatæ quæstioni (de actionibus in nostra potestate sitis) adfert. In priore enim capite de actionibus cupiditatis, in posteriore de actionibus

nibus iræ & furoris quæritur, an hæ & illæ sint spõtaneæ, ut actiones virtutũ anteà definiũtur esse. Spõtaneas quidẽ esse confirmat philosophus actiones non solùm istorũ affectuũ, sed omnium meo quidem iudicio. Quoniam affectus & passiones animi, imperio mentis & voluntatis subiiciuntur. Sic nemo mortalium se suaq; scelera & flagitia iure potest defendere quòd fato & necessitate malum impulsus fecerit, cum serpentes corruptæ naturæ veluti in ovo suffocari, & fomites peccati, ne in flammam prorumpant, supprimi ratione possunt. Spontaneum hoc loco definitur id totum, quod nec vi coacti nec ignorantes agimus. Sed apertior de hac re habendus est nunc sermo. Certum est ad omnia quæ agimus quodam nos ferri appetitu. Appetitus autem in tres species dividitur, cupiditatem, iram, voluntatem. Primùm consideranda est actio quæ fit per cupiditatem: an illa sit de numero eorũ quæ sponte aguntur. Concludit esse philosophus & causam addit: siquidem quæ à nobis sponte nõ fiunt sed invitè, ea omnia vi coacti facimus; sed quæ à nobis vi aut necessitate fiunt animo reluctante, dolor & tristitia sequuntur: cupiditate autem quæ fiunt, comitẽ indivisam voluptatem habent: quæ ergo cupiditate agimus, non vi sed sponte, non fatali necessitate sed libera volũtate agim⁹. Cõcludit igitur hoc caput philosophus, & ait, quòd incõtinẽtes & intẽperãtes nullã excusationẽ habeãt, quãtũvis cupiditatibus suis se victos & impulsos dulce malũ fecisse putant. Præ-

Spontaneũ quid.

Cupiditas voluntarias actiones parit.

Incôtinētes sunt nō excusabiles.

tereà, inquit, incōtinētes iniusti sūt, iniuriāq; naturæ, civitati, & cōiugali unitati inferūt. At iniuria, spōtanea lęsio definitur. Incōtinētes ergo nō vi & necessitate sed spōte peccāt. O magnā infirmitatē, & cæcā ignorātiā humanæ naturę, cū tot Ægisthi, tot Phædrę vbiq; tędis istius cupiditatis accensę vivunt. Non hoc Medeæ excusat,

Ovidius li. 7. metam. fabula 1. vers. 37.

Video meliora proboq́,
Deteriora sequor.

Nec illud Phędræ Thesei vxoris insano Hippolyti flagrātis amore ad suā nutricē respōsum,

Seneca in Hippolyto, Act. 1. Scen. 2. vers. 176.

Quæ memoras, scio
Vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi
Peiora, redit animus in præceps sciens
Remeatq;, frustrà sana consilia appetens.

Non ita est, Phædra, non ita est. Nam naturæ præceptor te hîc docet penès te esse cupiditatē tuam, tuosq; illicitos et fœdos amores non impetu aut necessitate, sed corrupta voluntate provenire. Sequitur alterum caput, in quo primùm occurritur obiectioni quorundam philosophorum contra hanc opinionem de actionibus incontinentis. Obiectio hæc est. Continentes sponte agunt, quia laus eorum actiones sequitur: ergo incontinentes sponte non agunt. Nā cōtrariorū cōtraria est ratio. Atq; iterū; principia in actionibus continentis et incōtinētis sunt contraria, nempe recta ratio et concupiscentia: ergo si continens sponte, incontinens invitò agit. Postremò, nemo sciēs malū nisi invitus facit: sciēs incōtinēs malū agit, iuxta illud Comici,

Incontinēs videtur vi agere sed non agit.

Sciens

Sciens volensq; manum in flammam mitto.

Ergo incontinens invitè, non sponte agit. Similia, inquit Arist. de ira & voluptate dici possũt: quocirca alia de illis præcepta omittit; & nos quoq; illius imitati exemplũ omittimus, addentes hoc solũ, quòd per cupiditatẽ, iram & voluntatem, non solùm hos animi affectus, sed etiã potentias omnes interiores intelligimus, maximè verò appetitus, qui in concupiscibilem, irascibilem, & rationalem vim ac potentiam dividitur: sub quibus, mea quidem opinione, omnes aliæ passiones & motus continentur.

Distinctio quæstionis.

Actiones quæ impetu affectionis fiũt, probantur spontaneæ, vel ab

- Interna causa omnium actionum, humanâ nẽpe animâ, cuius imperio cæteræ potentiæ & earum actiones subiiciuntur.
- Effectis, quia istiusmodi actiones pœnâ aut præmio remunerantur; quod certè non fieret, si spontaneæ non essent.
- Exemplis incõtinentis & furentis qui iniuriam aliis facit, quæ iniuria est spontanea læsio aliorum.
- Absurdo, quia aliter fatalis esset necessitas peccandi, quoties furiosa animi passio nos ad flagitium pellit.

Opp.

Appetitus est irrationalis pars animi: ergo malè hic in concupiscibilem, irascibilem & rationalem partem dividitur; quippe sic membra cum diviso non convertentur.

Resp.

Appetitus est quidẽ essentiâ suâ rationis expers; at in homine per participationẽ, rationis capax efficitur: & sic sensitiva voluntas dicitur, qua ab intellectu Appetitus quomodo rationalis efficitur.

lumen & rationem habet.

Opp.

Lib.3.de anima, cap. 5.

Concedit philosophus quòd sæpe divinæ animæ partes, nempe mens et intellectiva illa voluntas ab appetitu irrationabili parte eiusdemq; furijs et affectibus superentur: ergo si tùm quid sceleris mortales commiserint, vi & necessitate, non sponte & liberâ voluntate se fecisse dicãt. Nam quicquid superati agimus, idipsũ inviti & coacti agimus.

Resp.

Diviniores animæ partes cedunt affectibus, non ab iis invitæ superantur.

Hoc ipsum non concedit philosophus, nec ratio nec philosophia docent. Nã mens & voluntas superari & prosterni non possunt nisi velint. Sunt enim vi & naturâ suâ incorporeæ, divinæ, immortales animæ partes, quæ impetus & malleolos omnium affectuũ facilè retundant. Caterùm vt sunt in hoc mortali puncto corporis, sæpe contingit vt se permittant veneno & aculeis istorum serpentum infici & vulnerari: ruuntq; sic infectæ & vulneratæ in Syllam et Charybdim malorũ, idq; non vi, non fato, sed placidâ & corruptâ voluntate.

Opp.

Nemo sciens malum agit, vt nemo sciens malũ appetit: sed incontinens scienter vtrumq; agit: ergo est aliqua ratio cupiditatis violenta non voluntaria.

Resp.

Cupiditatem semper (si eidem indulgeas) voluptas sequitur: cupiditatis ergo actio, vt respondet philosophus, est voluntaria. Propterea sciens potest aliquando malũ agere; quia experientia docet permultos cognoscere quidẽ voluptatibus nõ esse indulgẽdũ, nõ inferendas esse iniurias; et tamẽ quot sũt doctores qui volup-

Sciẽtes malũ agimus.

tuosè

tuose et iniuste vivũt? imo quot sunt qui in scelere et iniquitate gloriantur suâ, haud memores illius, quòd qui sciũt volũtatẽ domini & nõ faciũt, multis flagellis vapulabunt.

Opp.

Continentes sponte agunt: ergo incontinentes invitè agunt. Præterea continens & incontinens contraria principia agendi sequũtur, rationem & cupiditatẽ: ergo si continens sponte agat, incontinens invitè agit, quia contrariorum contraria est ratio.

Resp.

Vtriq; argumento desumpto à textu simul & semel respondeo, nempe quòd contrariorum contraria sit ratio, non semper in omnibus. Nã sic probari potest, virtutum rationes eodem modo spontaneas non esse; quia scilicet ipsa inter se sunt vera contraria. Contrariorũ ergo contraria est ratio quoad naturam, non autem sẽper contraria quoad disciplinas. Et vt pleniùs satisfiat huic rationi, negamus continentiam & incontinentiam earumq; principia esse vera contraria nempe adversa, in quibus hoc axioma Topicum per se summum locum habet.

Cap. XIIII. & XV.

An Violenta actio opponatur naturali & voluntaria?

DVo etiam hæc capita rectè cõiunxi, & quia brevia sunt, & quia unam materiã tractãt; quippe in utroq; (ad exactiorẽ spõtanei rationẽ intelligẽdã) de violento & necessario agitur. Vis seu violẽtũ, vt hîc docet philosophus, tũ in rebus anima carẽtibus, tũ in animatis locum habet. Sic ignis

De necessitate et voluptate actionũ humanarum.

ignis aliquando impetu deorsum, sic lapis sursũ rapitur; sic flectitur equus fręno, manuq; insesso ris à cursu suo retardatur. Quicunq; igitur mortalium contra naturã suam, contraq; voluntatẽ agunt, hi quidem violento motu impulsi non sponte aguntur. Violentũ enim est, si definias, nihil aliud quàm impetus exterioris causæ, quo res mobiles cõtra naturã suã aut appetitũ naturalẽ ad agendũ impelluntur. Quæcunq; igitur interiorem in seipsis causam motricem, suarumq; actionũ effectricẽ habent, violento motu nõ cientur. Imò qui agunt partim vi externa coacti, partim interna causa motrice persuasi & allecti, hi quidẽ spõte nõ invitè agere dicũtur: sicut nautę, qui metu navis periturę in tẽpestate suorũ bonorũ iacturã non inviti faciunt. Huc addo non esse violentas actiones illas, quę externa causa coadiuvãte naturã, aut cooperãte cũ naturali & interna causa fiunt: ut si quis puerulũ sustentet manu, doceatq; progredi, aut si quis impedimẽtũ motus naturalis removeat. Pergã ad alterũ caput, in quo de necessario agitur: verbo persolvã omnia. Necessitas duplex est: absoluta, & cum conditione: illa simplex, hæc autẽ ex parte & secũdũ quid dicitur. Illa à causa externa impellẽte vim suã habet, hęc causã internã & externã actionis respicit, ipsamq; actionem nec simpliciter violentam, nec simpliciter voluntariã, sed mixtam facit, quam multi invitam nominant.

Violentum quid.

Actiones voluntarię, violentæ, mixtæ.

Necessitas duplex.

OpP.

Naturales actiones sunt aliquãdo violenta: ergo violenta

violenta actio non semper opponitur naturali. Antecedens probatur. 7. Physicorum: ubi docet philosophus, res omnes naturales extrinsecùs ab alio movente cieri; at motus rerum naturalis actio definitur. 3. Phys.

Resp.

Satisfactum est huic argumento, cum diximus nõ esse violentum motum aut actionem, si externa causa coadiuvet internam rei causam. At res omnis naturalis internã causam sui motus habet, quæ ab externo movẽte, vel principio, vel medio, vel insita qualitate adiuvatur.

Opp.

Vertigo seu conversio cœli est & violenta & naturalis: ergo una harum actionum alteri non opponitur. Est violenta, quia qualibet inferior sphæra impetu superioris contra naturam rapitur. Est quoq; naturalis, quia tali figuræ conversio seu devolutio circa centrũ à naturâ convenit.

Resp.

Idem volvis saxum, & parum attendis in cœlo esse internam causam movẽdi, quæ ab externâ causâ movente adiuvatur. Præterea ut veriùs satisfaciam tibi; non est hic idem respectus, cum motus cœli non sit propriè actio cœli, & quoniã vis externa moventis internæ facultati rei motæ non opponitur.

Opp.

Veneris formæ & Martis voluptati resistere est difficillimum: non ergo mirum est, si multi verè dicant se necessitate aliquando peccare, cum alienum thorum voluptate victi violant, ut habetur in textu.

Resp.

Ludis: aut non vides quòd difficultas necessitatem

non

non imponit. Nam etsi difficillimum sit studiosum esse aut voluptati resistere; volentibus tamen hæc difficultas in magnam laudem & victoriam cedit.

Cap. XVI.

An Invita actio hominem semper innoxium reddat?

De invito et spontaneo.

PVlcherrima in hoc capite inviti traditur distinctio, eiusdemq; verbi facillima per exēpla demonstratio. Rectè quidem (ut omnia) hoc facit philosophus, ut actionum omnium humanarum (in quibus cardo huius vitæ vertitur) tabula ante oculos nostros graphicè depicta pendeat, in quâ veluti in speculo liceat sapientibus intueri theatrum mundi, & in eo varias actiones mortalium, quorum alii tragœdiis, alii comœdiis delectantur. Sed ut verbis diutiùs non inhæreā, Invitum tribus modis dicitur: secundùm necessitatem, cum aliquid necessitate impellente ad actionem fiat, quo maius malum devitetur; sic invitus nauta devolvit merces in mare: secundū violentiam, cum aliquis vi impulsus aliquid agit; sic latro ad carcerem, vincula, crucē invitus trahitur: secundùm ignorantiam, cum quis aliquid agendo id agit quod præmeditatus agere non decrevit; sic sæpe mittens iaculum ad scopum fortè occidit hominem. Sed exemplum aliud est in textu huius postremi generis de fœminâ quâdam, quæ poculum amatorium suo amico dederit, quo illum ad sui amorem vehementiùs pelliceret. Sed cùm eodem exhausto suum amicum

Invitum 3.

cum

cum veluti lethali veneno accepto extinctum senserit, ad Areopagum confugit, quam inibi comprehensam & examinatam Areopagitę sapientes viri mortis sententia iudicio & metu liberârūt. Sed hîc suboritur quęstio, An invita actio hominem semper innoxium reddat? Reddit certè, si vel ex necessitate cum conditione, vel ex vi & coactione fiat. Nam in istis duobus generibus aut dura aut nulla est electio aliter agēdi. Cęterum in hoc postremo genere actionis invitæ quæ fit per ignorantiam, innoxius homo non efficitur; quia præmeditatio deliberatioq; præcessissent, an talis eventus sequeretur: non enim sapientis est commisso errato dicere, non putaram; potissimùm cum ipse sit causa & auctor suę ipsius ignorantiæ, quæ inde non simplex à natura, sed crassa & supina dicitur. His positis definitionem spontanei infert philosophus, nempe quòd sit id totum quod ex animi proposito & præmeditatione fit: quales sunt omnes actiones sapientum, qui nec ad diem vivunt, nec ea solùm considerant quæ ante pedes iacent.

Invitè agēs quomodo liberatur culpa.

Distinctio quæstionis.

Omnes actiones hu-
- Necessariæ, eædemque vel
  - Simpliciter, quæ pulsu externæ causę moventis fiunt.
  - Cum conditione, quæ tā à causâ internâ quàm externâ cooperantibus pendent.
- Violentæ, quæ externam causam violēter moventem semper habēt, internâ causâ renitente.

manæ

manæ sunt, vel

Invitæ; quę fiunt, aut secundùm
- Necessitatem, ut devolvere merces in mare.
- Violentiam, ut impulsus ire ad crucem seu carcerem.
- Ignorantiam, ut si missa sagitta ad scopum, hominem transfoderet: & hæc actio propriè invita dicitur; aliæ verò duæ per accidens.

Spontaneę; quę sunt, aut
- Simpliciter voluntariæ, utpote quæ voluntatē suum solum principium habent: Quales sunt omnes actiones morales.
- Ex parte, magis tamen voluntariæ, utputa illæ quæ partim externā causā impulsoriā, partim voluntatē maximè motricē habent.

Opp.

Fatales quædam actiones sunt, de quibus et in Physicis, & in alijs partibus Philosophiæ agit Aristoteles, eædemq; duplices: Vel quæ à divinâ providentiâ præter aut cōtra naturam fiunt; vel quæ ab ipsa naturâ pendent, & hæ quoq; necessariæ dicuntur, de quibus hoc loco nulla facta est mentio. Ergo completa & absoluta hæc non est de actionibus demonstratio.

Resp.

Fatales actiones quę sunt.

Certum est & negari non potest esse quidem fatales actiones easdemq; necessarias; quia à potentibus & necessariis causis immediatè pendent, Deo & natura. Cæterùm ut respondeam argumento, ideò hoc loco nulla earum facta est mentio, quia hîc solùm de moralibus humanis agitur: vel, si placet, dico quòd hæ quoque genera actionum ad necessarias actiones analogicè reducantur. Quippe illæ actiones quæ ex nexu

nexu & ordine causarum naturalium fiunt, internam causam motricem habent, & hæ etiam quæ divinâ potentiâ efficiuntur, naturam movendi non perdunt suam, ut in actionibus monstrorum & in prodigijs cernitur.

Opp.

Invitæ actiones (de quibus potissimùm hoc loco agitur) confundi videntur cum violentis & necessarijs; quippe aut secundùm vim, aut secundùm necessitatem fiunt: ergo malè datur hæc divisio.

Resp.

Quædam actiones necessariæ & violentæ, sunt illæ quidem invitæ; sed omnes invitæ actiones non sunt aut necessariæ, aut violentæ. Nam propriè illæ dicuntur invitæ, quæ præter intentionem et propositum nobis contingunt. Actiones propriè invitæ quæ sunt.

Opp.

Invita actio nullam habet intentionem mali, vt est in textu: ergo hominem semper innoxium reddit. Ratio tenet, quia intentio & præmeditatio mali flagitium facit, reosq; reddit sceleris.

Resp.

Quamvis non sit intentio mali in actione invitâ, est tamen neglectio boni, nempe cõsilij, seu præmeditationis, vtrùm hoc malum ex hâc vel illâ actione possit evenire. Quare, propter omissionẽ boni nõ propter intentionem mali, propter ignorantiam non propter malitiam, invitæ actionis sæpe ponitur author. Sic qui fortè occidit hominem, non vitæ, quam alteri invitè sustulit, sed suarum rerum & facultatum naufragium facit. Omissio boni peccatũ aliquando est.

CAP.

Cap. XVII.

An Electio rectè assignetur?

De electione.

RECeptissimum est & ab omnibus approbatum, virtutis actionem ex delectu & proposito fieri debere. De proposito ergo & delectu proximè hic agit philosophus, ut quid sit utrũq; rectiùs intelligatur, meliúsq; dirigantur vestigia nostra in hoc stadio vitæ, in quo unusquisque ad scopum virtutis & fœlicitatis tenderet, aliosq́ue exemplo currendi, beneq́; cum monstris vitiorum pugnandi ad eundem scopum & metam traheret. Sed heu quàm pauca hodiè exemplaria vivunt. Nubibus obductum est cœlum, in orcum ruimus; sed curro. Propositum hoc loco definiri potest fixa & certa quædam determinatio mentis ut hoc vel illud à motu fiat. Huius comes electio est, quæ in hoc capite contra appetitum, voluntatem & opinionem distinguitur. Nam ut paucissimis absolvã omnia. Electio non est appetitus, quia solùm hominibus convenit: appetitus etiã in belluis inest. Non est voluntas, quia hæc sępe est impossibilium; exempli causa, athei & epicurei immortales se esse velint in hac vita: sed electio est solùm eorum quæ sunt in nostra potestate. Præterea voluntas est finis, sed electio eorum solummodo, quę ad finem tendunt: electio ergo non est voluntas. Postremò nõ est opinio aut cogitatio; quia hæc sæpe sunt eorum quæ electione prosequi non omnino possumus, exem-

Propositũ quid.

Electio non est appetitus, non voluntas, non opinio.

exemplum in textu hoc est, quia frequentiùs ea quæ apud Indos existũt (intellige, si placet, aurum & gemmas) animis nostris volutamus & agitamus, & de illis multos effingimus in nobis cogitatus, nullum tamen istorum delectu persequimur; quoniam non sunt sita in nostrâ potestate. Non est igitur electio mentis cogitatio, nõ est opinio. Age ergo, cùm electio nihil est horũ quæ dicta & discussa sunt, Appetitus, voluntas, cogitatio, relinquitur ut sit apprehensio quædã mediorum ad finem; quæ rectè circumstantiæ rerum ac personarum dicũtur, quales sunt, quid, quantum, gratiâ cuius, quale, quis, quò, in quo, quando, ubi & quomodo: quæ circumstantię in textu concingentia & coambientia quasi media ab Aristotele appellantur. Cùm enim his animo discussis & agitatis, id ex consilio tandem constiterit quod melius & optabilius est, tunc quidem ad illud agendũ excitatur in nobis quędam voluntas & appetitio, & id deniq; facientes ex antecedente consilio & voluntate, rectissimè dicimur agere ex delectu seu electione. Est enim electio interior voluntatis actio ex animi cogitatione & consilio perfecta, quæ mediis congruentibus in nostrâ potestate positis & discussis, voluntatem ad finem dirigit. Sed hìc animadvertẽdum & observandũ est, quòd semper id totum quod sub voluntatem cadit, nõ est eligendum. Siquidem permulta sponte agimus, antequàm de illis agendis cõsultamus. Queadmodũ sedemus, surgimus, obambulamus, verũ

Obiecta electionis.

Electio quid.

ut ita loquar, quicquid est eligibile, idem quoq; spontaneũ & voluntarium sit oportet. Hoc etiã demonstrant legumlatores, qui graviores pœnas delinquentibus ex electione infligunt, quã iis qui passionis alicuius impetu facinus cõmittunt. Quid multis? In his solùm versatur electio quæ agi possunt, quæ agere & non agere in nobis situm est, quæ itidem sic agi possunt aut alio modo, & denique in quibus contingit assignare finem & causam propter quam fiunt. Cùm finem nomino, aut causam propter quam: (non indubitatas causas aut res leviores intelli go; ut, utrùm quadrangulum suos angulos rectis æquales habeat? aut, utrùm nomẽ Archiclis rectè exaretur?) sed res illas intelligo, quæ ancipitem deliberationẽ habent, in quibus nõ solùm error mentis, sed etiam voluntatis inesse potest.

Electio in quibus versatur.

Opp.

Dicit Aristoteles in primo Ethicorum, fœlicitatem esse eligibilem: ergo electio non est solùm mediorũ, sed etiam finis.

Resp.

Electio capitur duobus modis: { *Communiter, & sic est & mediorum & finis.* / *Strictè, & sic est solùm mediorum tendentium ad finem.* }

Opp.

De rebus apertissimè disiunctis nulla, an sint eadem, à philosopho deberet fieri dubitatio: sed electio, appetitus, voluntas, opinio, sunt res apertissimè disiuncta: ergo de illis, an sint eadem, nulla deberet fieri

fieri dubitatio.

Resp.

Minor huius syllogismi falsa est. Nam si formaliter (ut aiunt) appetitum pro appetitione rerum, & voluntatem pro mentis intentione, & opinionem pro assensione animi intelligas, magna istorum similitudo erit: nam in omni electione est appetitio rei, intentio mentis, assensio tandem animi ad illud quod sub electionem cadit.

Opp.

Minus considerate in Ethicis Aristoteles dubitationem de irâ & concupiscentiâ fecit, vtrum electio hac vel illa esset: quare aut illic nimis superfluè, aut hîc nimis frigidè de hac causâ agit.

Resp.

Inconsideratè nec hîc nec illic agit. Illic enim non solum generatim ipsum appetitum, sed speciatim illius partes describit, probatq; electionem omnino non esse appetitum; quia nulla species sub appetitu, scilicet nec cupiditas, nec ira, nec voluntas electio dicatur.

Cap. XVIII, XIX.

An error in electione et consultatione ex voluptate et dolore contingat?

Vnum adhuc superest mediũ, seu instrumẽtum discutiendum, quo actiones humanæ studiosæ fiant, nẽpe consiliũ seu deliberatio. Nã præter appetitum et voluntatem agendi, requiritur consiliũ quid agẽdũ, iudiciũq; eiusdẽ quod agitur, — De consultatione, & de honesto virtutis fine.

agitur, ne erroribus implicati, operam & oleum in agendo perdere videamur. Horum primum, nempe consilium, deliberatio vel consultatio; alterum, nempe iudicium, sententia vel conclusio actionum dicitur. Morum enim syllogismus ex cōsilio, maiore; ex delectu, minore; et ex iudicio, conclusione constat. Primùm enim deliberare oportet, tum ex deliberatis melius eligere, & deniq; tā de deliberatis, quā de electis iudicare. Nam ut in Dialectica, iudicium est rerum inventarum approbatio: sic hoc loco consultantis & eligentis ultima sententia, de rebus utrique obiectis dicitur. Quid moror? Consilium ut hoc loco, & in Ethicis docet philosophus, non est de nugis, non de necessariis, non de certis, non de naturalibus, non de rebus extra nostram potestatem positis, non de sensibilibus, non de conclusionibus artium, principiisque rerum, sed de mediis contingentibus, & spectantibus finem, qui primùm consultantibus proponitur, & in ultimo loco per electa media comparatur. Non urgeo illud unicum exemplum, quod habetur in textu, nimirum quòd consilium nō sit ideo ut sensus, quia sensus liber non est ad operandum hoc vel illud; consultatio autem est libera, estque eorum quæ sunt ad finem, non ipsius finis: & proinde errata consultationis sunt circa ea quæ destinantur ad finem, non de fine: errandi autem plerumque causæ in consultatione, sunt voluptas & dolor, quæ spem aut metum in consultantium

Syllogismus morum ex consilio, electione, & iudicio constat.

Consultatio in quibus versatur.

Causæ errandi in consultatione.

um animos iniiciunt. His præceptis de consultatione traditis, additur annexum seu adiunctum de virtute, & honesto, partim in fine huius capitis, partim altero capitulo sequente tractatum. Adiunctum hoc est, quòd virtus sit ipsius finis, & eorum quæ ad finem tendunt: nihil ergo, hîc inquit philosophus, est virtute melius, non simpliciter, sed ad optimum consequendum (intelligit fœlicitatem.) Verùm enimverò, ut in architectura, non solùm ipsa scientia ædificandi domum quærenda est, sed alia etiam paranda sunt instrumenta: ita in morali philosophia, non solùm acquirenda est virtus, qua nihil melius, sed alia etiam media & ornamenta (bona corporis & fortunæ intelligit) quibus faciliùs, quod est in arte maximum consequaris. Alterum adiunctum est de honesto, quòd non solùm in genere, omni virtuti honestum sit finis; sed quòd quælibet singularis virtus suum particulare bonum & honestum habeat, idemq; maximè respiciat. At obiiciet aliquis, quòd sic se res habeat in virtute, ac in pingendi arte, in qua laus insistentem optimis mediis sequitur: laudabilis ergo est virtus, magis respectu mediorum ad finem, quàm respectu finis, ad quem solùm intentione studiosus fertur. Præterea si honestum in habitu & animo delitescens sit finis cuiusq; virtutis, tum sanè id falsum erit, quòd actio virtutis sit melior ipsa virtute, quę animi intētionē cuivis obviā & manifestā reddit. Istarū obiectionū primę respōde-

tur, quòd similitudo inter virtutem et pingendi artem omnino non teneat: alteri, quòd fallax et falsa insinuetur conclusio: nam et actio virtutis potest esse melior virtute, si sit cõtinua; et virtus ipsa potest esse laudabilis in habitu, si illam optima honesti præcessit electio.

Opp.

Causæ errandi in electione aut consultatione, sunt ignorantia et varietas mediorũ, quæ consultantiũ animos in ancipitem cogitationem distrahunt: ergo voluptas et dolor rectè hic non assignantur causæ.

Resp.

Errandi proximæ et remotę causæ.

Ignorantia et varietas mediorũ, sunt quidẽ proximæ causæ errãdi, remotæ autẽ et communes sũt voluptas et dolor, sub quibus alios etiã affectus hic comprehendimus. Affectibus enim varijs mẽs dubia huc et illuc trahitur, cũ media sint incerta et cõtingentia quibus finis acquiritur: at media consultationis incerta sunt, nõ certa; cõtingentia, nõ necessaria; quippe de certis et necessarijs nulla omnino est consultatio.

An virtus sit magis solicita circa finem quàm media ad finem?

Opp.

Prudentia est habitus rectè præscribendi media: sed prudẽtia est virtus: ergo virtus magis solicita est circa media quàm finem.

Resp.

Prudens maximè considerat finem.

Etsi prudentia præscribit media, vt studiosorum dirigantur vestigia ad assequendum finem, magis tamen finem ipsum considerat, à quo fixo et definito primùm incipit, et ad quem per media, rationis discursu

cursu ac consultatione tendit.

Opp.

Sic se res habet in virtute, ut in arte: sed ars magis est solicita circa media et instrumenta sua, quàm circa finem, ut constat in architectura: ergo etiam virtus est potiùs mediorum quàm finis.

Resp.

Primùm respondeo similitudinem non tenere: tùm etiam dico, artem magis finem quàm media spectare, quia in fine non in medijs laudem et perfectionem habet.

Opp.

Negat philosophus ullam omnino de finibus esse cõsultationem: ergo et ars, et virtus magis solicitæ esse debent de medijs quàm de fine.

Resp.

Quamvis finis res certa est, vt domus in architectura, fœlicitas in morali philosophia; et quamvis de fine et re certa non sit omnino consultatio, finis tamen, ut perfectio vitæ vel artis, est, ad quã solicitè res quælibet naturâ fertur: ratio est, quia in fine non in medijs ad finem est rerum conservatio.

An honestum sit finis cuiusq; virtutis?

Opp.

Honestum est ipsa virtus; ergo non est finis virtutis: et iterum, honestum est habitus; sed finis virtutis est actio; ergo honestum non est finis virtutis.

Resp.

Omnis virtus est honestum, sed omne honestum

non est virtus, vt in dispositionibus bonis, et actionibus quæ non sunt ipsæ virtutes, patet. Respondeo ergo per honestum hoc loco, vel obiectum, vel vsum, vel circa vtrumq́ actionem propriam virtutis intelligi; quæ actio generatim accepta beatitudo est, et finis omnium virtutum; particulatim accepta, cuiusq́ virtutis bonū et finis dicitur: et sic etiam resoluitur altera pars argumenti, in qua per honestum, habitum, non actionem fallaciter intelligis.

An omnis actio, inquisitio, et cognitio virtutis, à fine ut a principio incipiant, et in eundem resolvantur?

Opp.

Finis et principium distinguuntur: ergo omnis actio, inquisitio, cognitio, et consultatio virtutis, à fine ut à principio non incipiunt.

Resp.

Finis et principium distinguuntur quoad constitutionē rerum, et executionem actionum, sed quoad intētionem finis, primum principium dicitur; primùm enim ad actionem trahit.

Opp.

Modus sciendi res morales et naturales non est diversus: sed demonstratio et analysis rerum naturaliū non est circularis a fine ad finem: ergo hæc ratio et inquisitio virtutis non est approbāda. Minor constat, quia resolutio seu analysis rerum naturalium est à fine seu conclusione ad prima principia et causas, indeq́ nulla est reciprocatio.

Opp.

Eadem ratio res morales et naturales cognoscendi

non

non est, quia principia naturalia sunt (vt aiunt) in esse, à quibus non opus est vt fiat resolutio: moralia autem principia et fines sunt solùm in intentione, à quibus primus motus agendi et inquirendi oritur; opus ergo est vt in hac analysi fiat reciprocatio.

CAP. XX.

An Iactura possessionum sit obiectum fortitudinis?

HActenus de virtute in genere, nunc de singulis eiusdem partibus et formis agit philosophus: et primùm de fortitudine, quę columna civitatis, iustitiæ robur, omnium virtutum quasi ænea porta dicitur. De hac et reliquis suo ordine, satis in libris Ethicorum diximus: Laconica igitur hîc brevitate utar. Primùm, inquit Aristoteles, constat fortitudinem versari inter metum et audaciam, est enim vtriusq; affectus medium. Hinc ostendit non versari circa omnem metum; nam metus est in iactura et dispendio rerum, cuius moderator fortis non dicitur: fortis etiam non in metu supra naturam viresq; humanas versatur, res enim quibus resistere non potest, fortis timere debet, vt Dei iram, tonitru, impetum maris: nam qui hæc non timet, furens non fortis habendus est. Relinquitur ergo ut fortis circa metum humanum, qui et sustineri et superari potest, intrepidè versetur. Vulgaris igitur et multiplex illa fortitudo, quam hoc loco distinguit, secundùm experientiam, scientiam

De fortitudine.

Fortis ea tinet quibus resistere nō potest.

am ignorantiam, & affectum; fucata est, & quãvis opinione vulgi videtur esse aliqua, est tamẽ reverâ nulla: nam experientia sola milites non fortes facit; fortitudo non est periculi scientia, ut Socrates dixit, qui hîc refellitur. Ignorantia inexpertos belli pugnaces, non fortes reddit; similiter furiosa passio, aut infamiæ horror cives ad pugnam trahit, iuxta illud Homeri, qui pulchrè introducit civem Troianum sic loquentem: si non pugnem,

Polydamas (vereor) me primum in agmine carpet.

Fortitudo vera quid sit.

Quid restat? vera est sola fortitudo, virtus inter metum & audaciam posita, quæ pericula humana in iusta causa confidenter suscipit, mortemq; non timet, maximè verò illam, quæ in iusto bello hoste minante imminet. Huius solius fortitudinis aculei duo sunt moderati affectus & passiones animi, ira & indignatio. Ira, quæ in bello brevis esse debet furor, ut sanguine effervescente sanguis diutiùs non effundatur, *sanguinis* enim *siticulosa nõ debet esse ira.* Indignatio, qua ius in devinctorũ possessiones & bona pro pœna sceleris exerceatur.

Ira & indignatio fortitudinis aculei.

Opp.

Hostis invadit bona & possessiones; audax est qui non timet: fortis ergo est qui defendit; & proinde fortitudinis obiectum est ipsum dispendium rerum.

Res.

Est obiectum per accidens, ratione periculi quod è dispendio & iactura rerum potest emergere, per se autem non est.

An

An fortitudo, circa pericula ultra humanam sortem viresq; posita, versetur?

Opp.

Fortis est timere eiusmodi pericula, ut hic docet philosophus: ergo fortitudo circa illa versatur.

Resp.

Versatur ex parte & secundùm quid, (ut aiunt) circa istiusmodi pericula, non autem absolutè & simpliciter: timet enim fortis illa, sed quia illis non potest resistere, ideo illius propria obiecta non definiuntur esse.

An fortitudo in sola ratione, sine ulla passione animi constet?

Opp.

Fortitudo virtus est; virtus est habitus: habitus autem sola ratione non passione movetur ad finem: ergo fortitudo, in sola ratione sine ulla passione animi, vi sua & naturâ consistit.

Resp.

Fortitudo est habitus activus, non infusus; qui ideo requirit motum & affectum, ut animus ad pugnam & bellum excitetur.

An subita invasio nullo bello indicto, sit opus veræ fortitudinis?

Opp.

Est opus timoris; ergo non est opus fortitudinis. Antecedens probatur, quia invasio repentè facta est propter metum hostis, ne nos offendat.

Resp.

Invasio hostis quando iusta.

Subita invasio non est opus timoris, sed fortitudinis,

titudinis, si iusta sit causa & intentio utriusq; belli, neq; invaditur solùm propter metum hostis, sed ut periculum intentum repellatur; sic dolus dolo, visq; intenta, vi illata pellitur.

An stratagemata belli sint acta fortitudinis?

Opp.

Iusta causa in bello semper intenditur; ergo dolus non permittitur: at stratagemata belli non sunt sine dolo: ergo opera fortitudinis (quæ in omni actione iustitiam observat) non sunt habenda.

Resp.

Stratagemata sine dolo.

Stratagemata propriè non sunt doli, nec coniuncta cum dolo, quippe stratagematum finis est iustus, ut vitæ, parentũ, patriæ, religionis defensio: stratagemata ergo, quæ sunt ingeniosa sophismata capiendi hostẽ, non malitiosæ insidiæ, rectè opera veræ fortitudinis fortisq; acta nominantur.

Cap. XXI.

An omnis voluptas sit obiectum intemperantiæ?

De temperantia & intemperantia.

HAbena & invicta moderatrix turpis voluptatis Temperantia sequitur, quæ hominem in quo est, Hercule fortiorẽ reddit: Iuxta illud,

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia.

Fortis enim hostem, temperans seipsum vincit, insidiasq; serpentis (qui in visceribus naturæ nobis-

nobiſcum alitur)facilè perdit,& proſternit, voluptatem intelligo,cui reſiſtere,ut antea docuit philoſophus, eſt res omnium difficillima. Hæc virtus definitur medium inter intemperantiam & ſtupiditatem,non illam à natura,ſed conſuetudine & auſteritate Stoicæ vitæ factam, quæ hodie in terris nigerrimus cygnus dicitur, aut non ens,ſi inter mortales talem defectum quæras. Sed ludo. Voluptas huius præclaræ virtutis obiectum eſt, non autem voluptas omnium ſenſuum,quippe idolis,concentibus, floſculis delectati & capti, haud temperantes dicuntur,ſed illi ſolùm qui in guſtus tactuſq; voluptatibus & illecebris moderandis, impenſè & ſolicitè occupati ſunt, Qui vero immoderatiùs Veneri & abdomini indulgent,(ad nauſeam eſculentis & poculentis ſenſus oblectantes) hi veriſſimè intemperantes definiuntur eſſe. Eſt enim intemperantia ſpuma Veneris,ſperma voluptatis,venenum ſenſus,vomitus rationis, ſtercus plus iuſto ſaginati corporis, et ſi quid ultra hæc dici poteſt, confuſio & gehenna mentis; quippe non ſolum corpus, ſed nomen & animum intemperantia vulnerat. O immunde intemperans, cur immundam ingluviem tantopere in tuam ipſius perniciem ſequeris,Mannaque & coturnices evomis? Epulo certè tu magnus es. At cave. Nam byſſus abyſſum, dapes tuæ ſuos vermes conſcientiæ habent. De ſtupiditate & vitio oppoſito tẽperantię in defectu,nihil hîc dico. Nam nullos lapides præter adamãtes voluptatis

Temperantia quid.

Intemperãtia quid.

Pauci hodie ſunt ſtupidi in voluptate.

luptatis inter mortales gentium usquā reperio. Quippe dic sodes, quisnā mortalium sic gustū & tactum abiurat, ut ambrosiā & nectar voluptatis nec lambere, nec tangere peroptaret? Nō ille certè est, qui potiùs quàm molle scortum effœminatè premeret, linguam dentibus absciderit. Nam paucissimi sunt hodiè, qui Veneris gypsatissimis manibus retracti, potiùs pallium corporis quàm palmam virtutis perderent.

Opp.

Sensus omnes sunt fenestræ voluptatis.

Omnes sensus sunt fenestra voluptatis, per quam intemperantiores vivimus: ergo omnis voluptas est obiectum intemperantiæ. Antecedens probatur, quia idola, carmina, unguenta Veneris, visum, auditum, odoratum inficiunt, moventq; ad Venerem.

Resp.

Per accidens & secundariò, non per se hæc ad intemperantiam trahunt; per se autem sola voluptas tactus et gustus, obiectum est, in quo per se & vi sua versatur hæc virtus.

An effugiens malum voluptatis, propter metum incurrendi in morbum, infamiam, aut paupertatem, sit habendus temperans, vel intemperans?

Opp.

Diffugere à malo est ad virtutem inclinare: si ergo quis istis de causis à malo voluptatis se continuerit, is potiùs temperans quàm intemperans est habendus. Nam hoc modo per consuetudinem fieri potest bonus, ut quod ātea invitus, iam facilè, sponte, & secundùm

dum voluntatem faciat.

Resp.

Intentio, actionis probatio, & gnomon virtutis dicitur. Non est ergo satis declinare à malo, ut fias bonus, sed cum intentione boni malum fugere. Intentio.

Opp.

Qui propter causas prædictas se temperat, verè temperata facit: ergo à coniugatis temperans nominari debet.

Resp.

Quemadmodum non satis est iusta agere, sed iustè, ut sis verè iustus: ita non est satis temperata agere, ut sis temperans, nisi etiam temperanter vivas. Hac enim sunt voce, non reipsa & sensu coniugata: ratio igitur non cohæret.

An insensibilitas ad voluptatem, cadere posit in humanam naturam?

Opp.

Privatio secundùm actum & potentiam, non potest existere, quia est non ens: sed ista insensibilitas est privatio voluptatis secundùm actum & potentiam: ergo cadere in humanam naturam non potest.

Resp.

Vitium hoc non est simpliciter privatio, sed secundùm quid ex parte usus. Nam non dicitur stupor naturæ, quia hominem sic attonitum reddit, ut nihil voluptatis aut sentiat, aut sentire possit: sed sic dicitur, quia tardum, quasi testudinem, in motu ad voluptatē faciat; & hoc modo esse potest.

CAP.

Cap. XXII.

An opposita Mansuetudinis sint vitia?

De mansuetudine.

NE ira sit concitatior in forti, flammasq; viribus incensis addat, moderatrix iræ ipsa mansuetudo rectè hoc loco sequitur, quam philosophus definit esse mediocritatem inter iram in excessu, & tarditatem ad iram vel iræ vacuitatem in defectu. Mediocritatem vel medium esse docet, & à generali propositione, quia omnis virtus est medium; et à speciali inductione, quia nulla non virtus, si percurras singulas, medium definitur. Hinc iracundum describit, qui levissimis aut nullis omnino causis commotus sine ulla circumistantiarum consideratione, et intuitu cuivis succenset. Cuius filiæ furiosæ sũt, invidia, odium, contumelia, detrectatio, malitia, aliæq; furiæ, quibus sæpe flagellantur homines; sed mansuetudo humanæ naturæ amicissima, tædas istarum furiarum extinguit, retundit impetus: est enim mansuetudo iracundiæ frænum, quo usi mortales, verè homines ab ipsa humanitate nominantur: quanto ergo longiùs ab hac virtute deflectunt et declinant homines, eo minùs homines sunt appellandi. Sed ô ferream ætatem mundi, in qua Circæis poculis tot homines fascinati, in sævissimos lupos, ursos, leones transformãtur. Canibales certè sumus, et humano sanguine saginamur. Vulnera iracũdiæ et furoris vbiq; scatent, quæ hac sola medicina, nẽpe man-

Iracundia quid, et quæ eiusdẽ filiæ.

Mansuetudo quid.

mansuetudine curari possunt. De tarditate ad iram (quæ est vitium in defectu oppositum mãsuetudini) quid hoc loco dicerẽ? *cum perpauci aut fere nulli reperiantur inter mortales, qui plumbeis ped bus ad iram et vindictam* veniunt. Definitur tamen hæc tarditas, Vacuitas quædam iræ qua lentius quam oportet, ad iustam iram provocamur. Raro quidẽ biceps gladius iracundiæ retusus, a manu furentis sine vulnere et vindicta cadit.

Perpauci hodie sunt ad iram tardi.

Opp.

Sunt affectus, ergo non sunt vitia. Antecedens constat, quia ira eiusdemq́, contrarium inter affectus ab ipso Aristotele enumerantur. Argumentum tenet, quia ab affectibus nec laudamur, nec reprehendimur.

Resp.

Per iram et eiusdem defectionem, non affectus, sed cum affectibus vitia intelliguntur, quibus apta desiderantur nomina.

An vindictam sumens possit dici mansuetus?

Opp.

Vindicta est vulnus et effectus iræ, ergo vindictã sumens dici non potest humanus et mansuetus.

Resp.

Vindicta sine iustitia et æquitate vulnus et effectus iræ est, at si ad emendationẽ vitæ, cum amore personæ sumatur, mansuetudinis læva quasi manus dicitur. Nã mãsuetudo dextra sua manu vulnera lenit, et sinistra scelerator leniter ad virtutẽ trahit, sic ut ꝑ-

Vindicta quomodo mansueta.

tij parentes, aliquando suos infantes verberant, quos tamen vehementer amant: ita mansueti severiores aliquando videntur esse in vindicando scelere, cum tamē sine odio personarū manent semper perhumani.

Cap. XXIII. & XXIIII.

An liberalis quis dicatur dum accipit?

De liberalitate & eiusdem vitiis oppositis.

VEhemens sitis auri (qua æstuat nunc mundus) requirit certè medicinam, at nulla medicina salubrior dari potest, quam liberalitas, de qua in istis duobus capitulis iam sequētibus disputat philosophus. *Est enim liberalitas prodigalitatis frænum, avaritiæ damnum, solatium paupertatis, civitatis asylum*, dat enim sæpe, rarissimè accipit, aridos & profusos in perpetuum exilium à magnifico suo aspectu & imperio abigit. Quid multis? cum paucissimis omnia concludit Arist. Est inquit liberalitas medium inter prodigalitatē, & avaritiā, prodigalitas non habet fundum, quia effundit omnia, avaritia sacculos sacculis, thesauros thesauris accumulat, est enim prodigalitas profusio rerum, vitiūq; oppositum liberalitati in excessu; est avaritia (ut ita loquar) vorago & Charibdis rerum, vitiumq; repugnās liberalitati in defectu. Istius mōstri filiæ & species quatuor, in textu nominātur, quarum filii parci, cumini sectores, lenones, & nugivenduli mercatores dicuntur. Parci sunt aridi & tenaces avari, qui omnia rapiunt sibi, boniq; nihil agunt, priusquam ipsi vel ad patibulum, vel ad sepulchrū, vel (ne quid gravius dicam) cum divite ad infernū rapiuntur. Cumini sectores sunt, qui vilissima &

Descriptio liberalitatis.

Avari parci aliiq; pecuniarum siticulosi describuntur.

et minutissima sibi asservant, eademq; potius in partes dissecant, quam in usum aliorum quicquã producent. Lenones & fœneratores, odia dei & hominum, tertio in loco nominãtur, qui prodiga manu turpe lucrum & quæstum capiunt, avari tamen sunt, quia avidè & insidiosè aliena bona cupiunt, capiuntq;. Postremò nugivenduli & periuri mercatores, avari sunt, quia res vilioris pretii magni idcirco pendunt, ut incautos emptores penitus decipiant. His positis, illud notũ axioma infert philosophus, quod infinitum sit malum; bonum autem simplex, unum, & solitarium. Nam ut in Medicina una est sanitas, mille autem intemperies, & morbi qui lædunt actiones naturæ; ita in vita humana, una est simplex virtus, vitia autem infinita, quibus in studio virtutis impediti sumus. Concludit deniq; utrumq; caput hac quæstione: Vtrũ liceat viro liberali, excudere & formare pecunias, in quibus erogandis semper versatur. Respõdet non licere, nam ut fortis est non parare arma, & instrumenta bellica, sed iisdem paratis uti, ita liberalis non est, excudere pecunias, sed easdem ad usum iustũ & honestũ accõmodare.

Lenones avari.

Virtutis ad sanitatem elegans cõparatio.

Viro liberali pecunias excudere nõ licet.

Opp.

Acceptio pecuniæ est actus necessitatis, aut avaritiæ, ergo liberalis nemo dicitur dũ accipit, quippe nemo accipit nisi necessitate coactus propter defectũ, aut cupiditate cõmotus propter appetitũ, qui Nilo divitiarũ extingui nõ potest.

Resp.

Momentũ nullũ temporis naturã liberalitatis tol-

Liberalis aliquando est accipere.

lit, ut tamen nocte lux solis aliquando tegitur, ita dum accipit liberalis, usus liberalitatis obscuratur, non autē tollitur, quia actus hic nō est contrarius liberalitati, quippe si nunquā acciperet, fons aridus & siccus fiet.

An cupiditas pecuniarum sit magis obiectum avaritiæ, quam ipsa pecunia.

Opp.

Magis in cupiditate pecuniarum peccat avarus, quam in ipsa acquisita vel servata pecunia, ergo cupiditas pecuniæ est magis illius obiectum, quam ipsa pecunia. Antecedēs probatur, quia vitium non est in pecunia, sed in appetitu avari.

Resp.

Obiecta avaritiæ pecuniæ et pecuniarū cupiditas.

Quamvis avarus magis peccet cupiditate pecuniæ, quam in ipsa pecunia servata; minus tamen est illius obiectū, quia obiectū illud propriè dicitur, circa quod extrinsecus aliquid versatur. Vt ergo color externus, non potentia vidēdi est proprie obiectū visus, ita pecunia non pecuniarū cupiditas est propriū obiectū avaritiæ, seu illiberalitatis. Alij respōdent huic obiectioni, quod pecunia sit externū et mediatū, cupiditas autē pecuniarum internum, & proximum obiectum avaritiæ.

Scotus et Dorbellus.

An defectio in dando, & excessus in accipiendo, sint solum species avaritiæ.

Opp.

Aliæ species traduntur in textu, ergo hæ videntur non esse. Præterea avaritia est ipse excessus accipiendi, ergo excessus non est illius species.

Resp.

Aliæ species in textu ad has duas reducuntur, et avaritia veriùs ipsum vitium in excessu, quam excessus dicitur.

CAP.

Cap. XXV, XXVI.

An Magnanimitas rectè definiatur?

SEquuntur duæ virtutes fortitudini & liberalitati admodum cognatę, nimirum magnanimitas, quæ magna fortitudo, & magnificentia, quæ magna liberalitas recte nominari possunt. Laconica ergo brevitate, in utriusq; demonstratione utar, & primũ de magnanimitate, quę definitur mediocritas inter insolentiam in excessu, & pusillanimitatẽ in defectu, cuius obiectum honor est, non autem omnis, sed is solum qui à studiosis virtutis, dignissimis summa veneratione demandatur. Probi enim viri recte solum de magnanimi honore diiudicare possunt. Circa hunc honorẽ sic versatur magnanimus, ut eundem oblatum pro dignitate & meritis nõ recuset, non illo accepto insolescit, non inflatur animo, contemnit neminem, affabilis, comes, mansuetus omnibus existit, prospera fortuna nõ effertur, adversa nõ prosternitur, contumeliis deniq; improborum hominum non movetur. Insolens autem est, qui cum iure omnibus contẽptui esse debet, tum maxime omni applausu & honore aliis se digniorem putat. Hinc perfricta fronte Simiæ istius mundi irruunt in subsellia honoris, in quibus, quo altius scandunt, eo magis suam turpitudinem ostendunt, gravioreq; casum & pręcipitium sentiũt. Sed O cæca ambitio, quot ubiq; comœdias, quot tragędias

De magnanimitate et magnificẽtia earũq; extremis, legibus, et proprietatibus.

Magnanimitatis obiectũ honor.

Insolens quis.

as facis? Comœdias dico cum truncos; tragędias, cum vulpes aut vultures ranarum reges facis. Pusillanimitas rara avis est, in hac ætate mundi, nam perpauci gladium magistratus, aureumq; regis diadema oblatum respuunt, sed si sit pusillanimitas, est quidem vt hic definit philosophus abiectio et submissio animi, vel in non quærendo, vel in repudiando honore, quē homines pro virtutibus maxime merētur. Verū enimvero si tales sint homines, aut simplices Homeri sūt, aut stulti philosophi (da veniam Plato) qui vacuis crumenis stāt ꝓ foribus, dū Grylli & Gnatones insolēter irruūt, at si accepta repulsa expostuletur iniuria, angeli et custodes Paradisi honore dignis obiciūt morā. sed *O ingrata tēpora, in quibus iusti, docti sapientes, solum post funera in sepulchris vivunt.* *Iuste ad deum exclamat Boatius*

Iusti, docti, sapientes hodie non vivunt nisi sepulchris. Lib. 1. metro. 5. de cōsolatione philosophiæ.

Cur tantas lubrica versat
Fortuna vices, premit insontes
Debita sceleri noxia pœna;
At perversi resident celso
Mores solio, sanctaq; calcant,
Iniustā vice colla nocentes.

Magnificētia quid.

Superest vt verbum de magnificentia addā, quæ est mediocritas inter vanam ostentationē, seu iactantiā in excessu, et parsimoniā sumptuū in defectu, vel est ut verbo definias, magna liberalitas, circa sūptus faciendos, quos a magnifico fieri decet. At si quis ubi non expedit, maximos sūptus fecerit, is sane iactabundus est et gloriosus, Exēplū est in textu epulonis, qui vanissimè sodales

sodales nuptiali convivio excipit, talis enim est qui quo non opus est tempore, suam ostentat opulentiam. parcus vel parvificus, vt loquar cũ veteribus, cõtrarius est iactatori. Nã is cũ nuptias celebraret, olera proponit, deliciisq; contra dignitatẽ nuptiarũ parcit. Relinquitur ergo ut magnificũ solũ laudabilẽ esse cõcludat philosophus, quia is circumstãtiis optime servatis heroicè ad honorem reipublicæ suos sumptus facit.

Opp.

Honor est obiectum magnanimitatis, ergo non rectè definitur magna fortitudo, cuius obiectum res formidolosa dicitur.

Resp,

Analogice non simpliciter et absolutè magnanimitas fortitudo dicitur.

An in magnifico sit virtutis opus vendicare honorem?

Opp.

Honor est solum præmium fœlicitatis, ergo est opus insolentiæ in magnifico eundem vendicare, aut se eodem dignum existimare. Antecedens est Aristotelis, in Ethicis, ubi probat fœlicitatẽ solam esse bonum honorabile, hic tamen honorem debitum magnifico bonũ honorabile appellat, et etiam officium magnifici esse docet, eundem honorem vendicare.

Rèsp.

In magnifico virtutis opus est, debitum honorem vendicare, adeoq; existimare se dignum eodem honore esse, sed insolẽtis est, ut ais vendicare iniuste. Præterea ubi dicis, quod honor soli fœlicitati debeatur, respon- Magnificus honorabilis.

deo honorem illic solum internũ, non externũ intelligi.

An magnanimi officium sit contumelias improborum animo patienti ferre.

Opp.

Officium iusti & fortis viri est, animadvertere in malos, eorumq; scelera vindicare, sed magnanimus, est vir iustus & fortis ergo potius vindicaret has contumelias quam ferret.

Resp.

Magnanimus aquila est & non capit muscas, leo est & murem bestiolam mordentem non occîdit, sed spernit, iustus est si puniat, at iustus et fortis si contemnat, Improborũ enim lingua sapientũ gloria est.

Improborũ linguæ non detrahunt.

An cultus, incessus, sermo sint obiecta magnificentiæ.

Opp.

Sumptus honorabilis est obiectum magnificentiæ ut est in textu, ergo hæc non sunt.

Resp.

Per se sumptus honorabilis est obiectum, hæc autem per accidens obiecta etiam dicuntur. Nã magnifici est maiestatẽ loci, suæq; personæ cõsiderare, illius ergo cultus honorabilis, incessus gravis, sermo sapiẽs esse debet.

Cap. 27. 28. 29.

De indignatione, gravitate, verecundia & earum oppositis.

NE sim molestior verbis quam par est, affectus qui ab Aristotele verbo attinguntur, breviter percurram. Sed ut Canis ad Nilum curren-

rendo, aquam puriorem lambit, ita ęquidem quę ſunt notatu digniora tranſcurrens, non prętermittam, Ethica noſtra legentibus relinquam cętera. Primus inter hos affectus occurrit Indignatio, quam vulgus pro ſuperciliosa animi paſsione, vitioq; hominis ſuperbi & inſolentis ſumit, ſed loquendum eſt cum vulgo, ſentiendum cum philoſopho, qui hoc loco eandem definit, laudabilem affectum, mediumq; inter invidiam gaudiumq; perverſum, quod malevolentiam appellat. Vel ſi placet, ſic poteſt definiri, ut ſit iuſta triſtitia, animo boni viri expreſſa & concepta ex rebus proſperis malorum, qui bonis corporis & fortunæ ad nequitiam abutuntur. Pręclara eſt illa Nemeſis ſeu indignatio, omniū iuſtiſsimi Iobi patientis viri, cum impii vivunt, ſublevati ſunt confortatique divitiis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum, Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, non eſt virga dei ſuper eos. Indignanti contrarius eſt invidus, qui bonum cuiuſque opus liventibus & ſiniſtris ſemper intuetur oculis, iuxta illud,

Indignatio quid.

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.

Horatius Epiſt. lib. 2. & epiſt. 2.

Eſt enim invidus qui ægro fert animo bonorum virtutes, opera, & fortunas. Perniciosum hoc monſtrum in omni republica, civitate, familia, domo ſuos nidos, ſuos pullos, ſuaq; latibula & venena habet, ubiq; ſpargit virus, ſoliq; virtuti inſidiatur. Hinc præclarè cecinit Boætius.

Invidus quis.

Latet in obſcuris condita virtus. Clara tenebris

Lib. 1. metro 5. de conſolatione philoſophiæ.

Invido

Invido aliqua ex parte repugnat malevolus, Nam ut invidus benefactis bonorum dolet, ita malevolus malefactis & flagitiis malorum vehementer gaudet, immo ſive bonus ſive malus, quum malefecerit, malevolo id cordi eſt, qui ſolum malis delectatur. Concludo igitur ſolummodo virtute probatum virum, & bonitate ſpectabilem, medium inter invidentiam & malevolentiam tenere.

Gravitas quædam ſpecies affabilitatis.

Alter affectus qui in proximo capitulo tractatur, Gravitas dicitur, quæ meo iudicio, ſolum ſecundum magis & minus ab Affabilitate in Ethicis tractata differt. Gravitas ergo ſic definiri poteſt, ut ſit ſpecies quędam affabilitatis magnis & honorificis perſonis inſita, moroſitati & inani delectationi contraria? Moroſitas eſt quædam ſpecies contentionis, & inanis delectatio ſpecies adulationis, hinc moroſus, perverſus moribus, ut nomen indicat; adulator moribus ineptus dicitur, moroſus enim Stoice vivit, nullius vita aut ſermone captus, Adulator vero dum omnibus placere vult, bonos offendit. Hic hodie bonus ſocius, vel *bon compagnon* dicitur, qui nullius vita moribus, aut colloquiis offenditur, ſi ſit cũ Platone, philoſophatur: ſi cum Catone, gravitatem diſſimulat: ſi cum Gnatone, paraſitus inſeruit tēpori, factus eſt quaſi Protheus omnibus, ſeq; in omnes colores vertit, nouit hic uti foro. Si tales ſcire deſideres, aulici canes ſunt, magnorum inſerviunt quadris, dant verba, placentia canunt, In ſecunda fortuna adſunt, in adverſa fugiunt,

Bonus ſocius quis.

con-

constant solum in hoc, quod in sua semper levitate constent.

Tertius affectus verecundia est, inter impudentiam & stuporem medium: hic affectus definitur, frontis humanæ purpura, virtutis color, hedera suspensa sceleris. Frons enim est index mentis, color signum virtutis. *Sanguis in fronte effusus, conscientiam & pœnitentiam arguit.* Hinc illud, *Erubescit: res salva est.* Si exactius definire velis, Verecundiam, est illa quidem affectio animi, mediocris, eademq; persimilis virtuti, quę iuvenes motu quodam naturali, à flagitiis cõmittendis deterret, & ab iisdem commissis ad tribunal, & forũ veluti suæ conscientiæ, & ad pœnitentiam vocat. Iuvenes dico, non senes, quia verecũdia in iuvenibus laudabilis affectus dicitur, non autem in senibus, quippe in callum obduruit scelus, si erubescat senex. Facile iam est impudentem, eiq; contrarium stupidum & ignavum definire. Impudens ergo est, qui omnem pudorem fronte defricuit, quiq; nullo metu rei, personę, loci perculsus, omnia ad omnes loquitur, quę in buccam venerint. Spes fere nulla impudentium est, nam malis delectati audẽt omnia mala, maleq; semper audient, si tandem verecundi non fiant. Recte Iuvenalis. Nam quis inquit,

De verecũdia & illius extremis.

Verecundia signum pœnitentiæ.

Impudens quis.

In fine Satyræ. 13.

Peccandi finem fecit sibi, quando recepit,
Eiectum semel attrita fronte ruborem

Discant hinc impudentes suas frontes atterere, intusq; suas conscientias plenas sanguine resecare.

Stu-

Stupidus quis.

Stupidus impudenti contrarius est, quia ut ille fronte carens in defectu, nunquam erubescit, ita hic semper omnia reformidans, nimio suffusus est pudore, nullaque ratione pudoris, habet attonitam naturam, quæ umbris levissimis, obstupescit, & vulneratur. Suadeo hic severis parentibus, & pædagogis, ut filiorum & tyronum suorum mores diligenter observent, & si quos natura meticulosos invenerint, eosdem à stupore & gelida formidine, ad verecundiam reflectere & revocare contendant. Caveant autem semper (cum pueritia sit liquefacta cera) ne pro confidentiæ imaginibus, impudentiæ idola illorum animis imprimant, & relinquant: quippe sic hodie multi parentes, in educatione suorum filiorum vehementer peccant, cum illos docent, & permittunt, sæpe garrire, iurare, omniaque dicere aut facere, prout placet. Nimis sæpe vanissimũ illud proverbiũ audio. Ex malo puero bonus senex nascitur, sed meminerint,

Pueritia docilis ad omnia.

Horatius epist lib.1.epist.2.

Quo semel est imbuta recẽs seruabit odorẽ testa diu.

Malum ovum malus corvus: malum initiũ malus finis: quippe malus puer, malus senex erit.

An boni sit viri tristari, cum mali homines secunda aura navigant.

Opp.

Honor malis ruinæ causa.

Cum mali viri in altum sint vecti, in magnum plerumq; naufragium & voraginẽ malorum cadunt, illorum ergo prosperitas miseria est. *Cum igitur mali viri secunda aura fortunæ navigant, boni viri non dolerent, sed gauderent potius, propterea quod mali*

mali tum in miseria sint maxime, cũ omnibus ad votum potiuntur, cõcludo ergo contra Arist. quod in hoc indignabundus non sit bonus, quia tũ tristatur, cũ malos fortunatos viderit. Resp.

Res prosperæ malorum sunt perniciosæ civitati, hoc ergo respectu indignabundus tristatur, ne mali prospera utentes fortuna, vi, vita, & exemplo, bonos ad flagitium trahant. Fortunas ergo malis non invidet vir bonus, sed dolet quia iisdẽ potiti flagitiose vivant.

Opp.

Vna virtus non est contraria alteri, quippe omnes virtutes unitatis filiæ sunt, et inter se cõnexæ, sed magnificẽtia heroica illa virtus, istas malorũ nugas & umbras cõtẽnit, neq; õnino tristatur magnificus, si mali ab Indis auro onusti, ad portum navigent: ergo indignabundus nulla afficeretur tristitia, cum malos florentes viderit. Resp.

Idem sensus est huius ac alterius argumenti, idem igitur adhibetur responsum, scilicet indignabundum non malorum bona, sed bonorum abusum in illis ægrè ferre. Non enim dolet quia habent bona, sed quia iisdẽ habitis pessime abutuntur.

An invidia & malevolentia sint opposita indignationis.

Opp.

Malevolus & invidus non sunt contrarij, ergo invidentia & malevolentia non sunt opposita, & per consequens non sunt opposita indignationis, Antecedens probatur, quia invidus est malevolus.

Resp.

Invidus non est malitiosus hoc respectu, quo Aristoteles

teles nomen invidentiæ sumit. Nam invidens tristari dicitur, cum benè sint boni, malevolus autem gaudere dicitur, cum boni vel mali ruunt.

Opp.

Invidia est vitium, ergo non est oppositum indignationi quæ est affectus. Nam ut habitus habitui, ita affectus affectui opponi & contrariari debet.

Resp.

Invidia hic pro invidentia (quæ est vitiosus affectus) sumitur, invidentia enim est motus animi ad tristitiam in malis, cum studiosi virtutis florent.

An gravitas sit virtus moralis distincta ab Affabilitate?

Opp.

Affabilitas & Gravitas non habent eadem opposita, ergo una ab altera est distincta. Antecedens constat, quia morositas & eius contrarium, gravitati, adulatio & contentatio affabilitati opponuntur.

Resp.

Nomine non reipsa utriusq; opposita inter se differunt, ipsæq; virtutes modo solum & ratione, non natura differunt. Gravitas enim senibus & magnis viris solum, affabilitas autem, summis, mediis, infimis idq; in omni ætate convenire dicitur.

Opp.

Aristoteles distinctam virtutem facit, ergo est distincta habenda.

Resp.

Non facit: nam in Ethicis de affabilitate, & non de gravitate, in his libris de gravitate, & non de affabilitate agit, quod argumento est, eandem virtutem esse: nam

nam aliter in utroq; opere distinctam de utraq; fecisset mentionem, præsertim cum hic & illic de numero, & natura singularum virtutum egit.

An verecundia sit motus naturæ.

Opp.

Impudentia est motus naturæ, ergo verecundia non est motus naturæ, argumentum tenet, quia contrariorum contraria est ratio, quoad naturam.

Resp.

Contrariorum contraria est ratio, quoad naturam proximam & propriam in specie, non quoad naturam communem & remotam in genere. At motus naturæ, est genus in quo omnes affectus conveniunt. Nam omnes affectus, motus naturæ recte dicuntur.

Opp.

Verecundia est laudabilis, ergo verecundia non est motus naturæ.

Resp.

Est laudabilis solum respectu virtutis, cum qua coniungitur, non autem per se, ut in Ethicis docet philosophus.

An præstet impudentem esse, quam stupidum à natura.

Opp.

Stupor in excessu vitiosus affectus est, nam stupidus & attonitus semper quavis de causa levissima erubescit, ergo melius est impudentem, quam stupidum attonitumq; esse, præterea stupor magis à natura est, quam impudentia, nam hæc plerumq; à consuetudine & usu comparatur.

Resp.

Resp.

Stupidus melior impudente.

Etsi stupidus sæper quavis de causa erubescit, minus tamen nocet quam impudens qui effrons cum sit, nullum modum, nullam rationē sequitur, imò intrepide hoc monstrum omne facinus et audet committere, et commissum audet defendere, cum stupidus obiectione sui sceleris perculsus. facilius ad meliorem vitā revocatur. Postremò, etsi aliquo modo cōcedi potest stuporē magis insitum esse nobis a natura (natura enim docuit infantulos erubescere) maius tamen malum est impudentia, quia impudens naturæ malam consuetudinē peccandi addit. Malum ergo utrumq; est, at maius malum impudentia.

Cap. 30. 31. 32.

De comitate, amicitia, veritate et earum oppositis?

In his tribus iam sequentibus capitulis, tres alii affectus sermonis sequuntur, comitas, amicitia, veritas: Sermonis dico, quia sermo omnibus commune obiectum est, etiamsi alia aliaq; sint obiecta, si proprie et per se considerantur. Comitas definitur mediocritas inter scurrilitatem, in excessu, et rusticitatem in defectu, cuius propria materia iocus est, non omnis, sed is solum, qui sale ingenii conditus plurimum delectat. Hæc virtus sapientes et divos inter mortales decet, *facetys enim veluti optimis condimentis mens sapientum capitur:* sapientes ergo non sunt Aristarchi nostrorum temporū, qui Senecā et Plautum

Comitas describitur

Facetiȩ licitæ.

tum

tum à Theatro, qui Roſcios a conſortio mortalium penitus exulare velint, Cato qui nunquam riſit, ſalem in Appium ſparſit, & ipſe etiam ſalibus oratoris coactus eſt ſubridere, non ergò iocos cõtẽpſit Cato: imo ſapientũ cõtẽnit nemo, ſunt.n. facetię opportunè adhibitę, veluti lãguẽtis animi medicinæ: comitas ergo quæ eſt ſal ingenii, condimẽtum linguæ, iocorum inventrix, conſolatrix vitæ, & ipſa medicina animæ, in catalogum virtutum eſt admittenda, ut theatris civitatum, aulis principum, nobilium menſis, ſapientum muſis ſemper inſerviat, à quibus ſcurrilitas & ruſticitas, vitia huic oppoſita perpetuo exulent. Eſt enim Scurra qui in omnes, omni tempore, ſine modo, ſine delectu, ſcommata coniicit, ut ſtultus tela contorquet ſua. Ruſticus autem ex adverſo is eſt, qui nec ipſe unquã iocari velit, nec in ſe iocos coniici, ſine furore, & iracundia ſinit. Quid multis? De hac re audiamus Ciceronem. Neque (inquit) ita generati à natura ſumus, ut ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius & ad quædam ſtudia graviora, ludo autem & ioco uti licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, cum gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus, ipſumque genus iocandi, non profuſum nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet, nam ſic in ipſo ioco aliquid probi ingenii lumen eluceat. Hæc ille.

Cato facetiis delectatus.

Comitas deſcribitur.

Lib. 1. de officiis.

Proxim' affectus qui occurrit tractãd', eſt amicitia, nõ (ut ita dicã) realis illa benevolẽtia, de qua

 in Ethi-

Ethicis disseruit, & de qua in fine huius operis est dicturus: sed (ut ita loquar) nominalis, quæ in actionibus & sermonibus est constituta. Ambagibus non utar: per amicitiam hoc loco procul dubio affabilitatis speciem intelligit, nimirum in dictis & factis humanitatē, & aperte affabilitatem ipsam non nominat, quia ut antea modestiam sub magnanimitate, quæ subiecto, obiecto fine cū illa cōvenit, recte cōprehēdit: ita hoc in loco affabilitatē, partim sub gravitate, partim sub nomine amicitię insinuat, ꝙ quidē evidēter apparet cū hic amicitiā definit esse mediocritatē inter contentionem, et adulationem in actionibus et sermonibus constitutam. Quæ definitio aliqua ex parte affabilitati convenit. In actionibus et sermonibus dicit, quia et dicta et facta respicit hæc affabilis (ut ita dicam) amicitia, quæ ex gravitate, comitate, & affabilitate constat. Si vero proprie & per se distinguas, nō sum immemor, quod in Ethicis de his rebus dixerim, nimirum affabilitatem in sermonibus & verbis, comitatem in moribus & factis moderatricem esse. De contentione & adulatione hoc loco nihil dicam, nisi quod licet, eademq; sint nomine, & aliqua ex parte re etiam eadem cum oppositis grauitatis, modo tamen differunt. Quod vero sint eadem ex parte, & secundum quid, mirum non est, quoniam gravitas, affabilitas, & in usu sermonis hic posita amicitia, solum ratione, non natura, per accidens, non simpliciter & per se differunt, Idem dicendum est de magnamita-

Affabilitas in verbis comitas in factis.

nanimitate & modestia, quæ affines virtutes, unum obiectum nempe honorem, eadēq; opposita nempe insolentiam, ambitionem, & pusillanimitatem habent, quæ tamen modo, id est secundum magis & minus, in existentia non in essentia discriminantur.

Tertius affectus in sermone positus, est veritas, quæ diu abhinc cum sorore sua conscientia, dissimulationis resti suffocatur. De illa tamen ut Aristoteles de vacuo & infinito agam. Veritas ergo est affectio animi, media inter dissimulationem & iactantiam, qua homo prędítus, neminem inescat verbis, neminem mendacio fallit: vel est virtus, vt hic definit philosophus, qua homo ornatus, nec plura nec pauciora de se dicta, sibiq; in laudem data admittit, quam quæ certa sunt et explorata. Veritas primo modo accepta, in dictis, in factis, in contractibus et commerciis hominum, oris et operis vnam vocem, vnam linguam habet, geritq; nudum et defossū pectus, ut omnes intelligant, non aliud in ore, aliud in corde gerere: altero modo accepta veritas, omnem philautiam et amorem nostri à nobis abigit, non sinit nos esse ambitiosos maioris laudis, quam meremur: huic virtuti opponuntur iactator, mendax, et disimulator, ille qui se supra modum falso extollit, hic qui se suaq; fallaciter extenuat: uterq; vanus, vterq; gloriosus, vterq; laudis iniustæ cupidus. Alio sensu definitur mendax, qui pallio veritatis, sermonis insidias et fraudès tegit: disimulator autē is est, qui

Conscientia soror veritatis.

Veritas moralis quid.

 sem-

ſēper diſcupit videri iuſtus, at vulpes eſt, et cum dictis factiſque videtur verus: fallit. Mentiri ergo non licet, non licet diſsimulare, Nam & mēdacium & diſsimulatio animum & intentionē fallendi habent. Valeat ergo illa vetus diſtinctio, de officioſo mendacio: valeat etiam illud antiquatum proverbium; Qui neſcit diſsimulare, neſcit vivere: audiatur denique hæc aurea ſententia, *Veritas ſimplex eſt, & angulos non quærit.*

Veritas ſimplex eſt et aperta, nec quęrit angulos.

Dubium quod ſequitur in textu hoc eſt, an omnes mediocritates de quibus hactenus diſputavit philoſophus, ſint ipſæ virtutes. Reſpondeo præter indignationem & verecundiā, omnes appellari poſſe virtutes, quia diſpoſitionibus omnes acquiruntur.

An movere iocos & riſus ſit laudabile.

Opp.

Riſus eſt naturalis potentia, quæ neq; eſt laudabilis, neq; vituperabilis, ut antea docet philoſophus, ergo virtutis opus non eſt movere riſus, & per conſequens, comitas non eſt virtus, quæ circa movendos riſus & iocos verſatur.

Reſp.

Riſus ſumitur vel pro facultate animæ, vel pro actu ridendi, eodemq; vel moderato ad ſolatium, vel immoderato ad exceſſum. Primo modo acceptus, non eſt laudabilis, vel vituperabilis, ſecundo modo obiectum comitatis eſt, tertio autem modo obiectum ſcurrilitatis, de quo ſapiens dixit. Riſum reputavi errorem, hunc addo & illud. Væ vobis qui ridetis.

Eccleſiaſt. cap. 2.

An

An ludi ſcenici & ſaltatiónes, ad comitatis moderationem ſpectent.

Opp.

Diſsimulatio non eſt opus virtutis, ſed in ludis ſcenicis eſt diſsimulatio rerum, morum, perſonarum, & (quod horrendum eſt) apparens mutatio ſexus, cũ histriones mentitis fœminarum veſtibus amicti, in theatro ſaltant, ludunt, ioculantur. De ſaltationibus nihil aliud dico, niſi illud quod dici ſolet. Nemo ſaltat ſobrius. Poſtremo finis ludorum et ſaltationum levis delectatio eſt, at finis virtutum perennis beatitudo eſt, ergo nec ludi, nec ſaltationes, ad comitatem ſpectant. Nemo ſaltat ſobrius.

Reſp.

Diſſimulatio cum intentione mali non eſt opus virtutis, cum ſit ipſa vitium, neq; eſt proprie in ludis et ſaltationibus diſſimulatio rerum, morum, perſonarum, ſed ſimulatio vel imitatio potius. Quod horẽdũ eſſe dicis, hiſtriones mentitis fœminarum veſtibus amictos, in ſcenam proſilire: verbo intonante et ſonoro, ſine cauſa iuſta vteris. Nam non eſt mutatio ſexus, ſed apparens mutatio, neq; illa quidẽ: quia cũctis ſpectantibus nota eſt non mutatio, ſed ſola repreſentatio, vel ſignificatio vel expreſſio morum eademq; ad exemplum vitæ, vel ſequendum, ſi bonum: vel fugiendum, ſi malum ſit: et ſic in Roſcio (viro fortaſſe honeſtiſſimo) non eſt diſſimulatio, non eſt mendacium quia agenti vel induenti perſonam Laidis, non eſt illa intentio fallendi homines, aut corrumpendi mores, ſed illos informandi et reformandi potius: quippe hic finis comœdiarum et tragœdiarum eſt, ut vivis exemplis Diſſimulatio quomodo vitium

exemplis vitali actione Rosciorum expressis, homines deterreantur a vitijs, et ad virtutem incuētur. Quare illud falsū est, quod in fine argumētationis affers, nimirum levem delectationem esse solum ludorum finē. Nam quamvis in spectaculis est quædam mentis (studijs aut curis fatigatæ) laudabilis delectatio, præter hanc tamen, alium finem habent. Quæ addis de saltationibus, leviora sunt, si illas saltationes intelligas, quæ ad expressionē iustæ victoriæ, honesti gaudij, aut magnæ libertatis fiunt. sic enim David, et alij, frequenter olim saltaverunt, addo etiam et illud, quod in nuptijs ad delectationem mentis, et alus quoq; temporibus, ad exercitationem et recreationem corporis, usus laudabilis et moderatus saltandi esse possit, modo instrumenta musica et tibicines, numeros motusq; virtutis non vt hodie numeros motusq; Veneris, et lasciviæ personent.

Albertus lib.4 et distinct.16.

Saltatio quædam licita.

An amicitia sit hic affectus vel habitus?

Opp.

Amicitia in Ethicis affectus dicitur, ut illic constat, ergo videtur probabile quod hoc loco non sit habitus.

Resp,

In Ethicis amicitia amoris filia est, hic vero in sermonis usu, et moderatione ponitur: illic definitur benevolentia, quæ est affectus, hic autem quædam species vel pars affabilitatis est, quæ habitus definitur.

An liceat bono viro de virtutibus gloriari.

Opp.

Iactantis est gloriari, ergo virtutis opus nō est, ut hic defendit philosophus. Optimū cōsiliū fuit illud Catonis

Nec

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse

quare ineptum et absurdum esse videtur, quod viro veritate prædito, liceat non solum laudes ab alijs datas admittere, sed etiam suas ipsius laudes prædicare.

Resp.

Sanctissimus Iobus non discessit a virtute, neq; iactator fuit cum insultantibus amicis, sibi anteactæ vitæ probitatem et innocentiam aperuit. Laus rarissima tui ipsius esse debet, sed aliquando est valde necessaria, si vera, si iusta, si sine ulla vanitatis ostentatione fiat. Laus tui modesta licita est.

An mẽdacium sine intentione fallendi sit vitium?

Opp.

Intentio nec forma nec finis est virtutis, aut peccati, sed prima quasi species menti oblata, qua tanquã fomite accenso, ad agendum movetur. Non ergo vitium aut vitiosum efficit intentio, et per consequẽs mendacium ob hanc causam, vel sine hac causa vitium non dicitur.

Resp.

Quæstio non est de simplici intentione, de qua calide hic agis, sed de intentione fallendi, quæ recte intentio composita, vel cum adiuncto dicitur, et hac quidem quodammodo forma et formatrix mendacij dicitur, quare sine hac propriè et per se non est vitium, caterũ per accidens mendacia illa, etiam quæ sine intentione fallendi efferuntur, peccata esse possunt, ut otiosa et fabulosa mendacia, si ad malum finem destinentur.

exemplis vitali actione Rosciorum expressis, homines deterreantur a vitijs, et ad virtutem incitentur. Quare illud falsũ est, quod in fine argumẽtationis affers, nimirum levem delectationem esse solum ludorum finẽ. Nam quamvis in spectaculis est quadam mentis (studijs aut curis fatigatæ) laudabilis delectatio, præter hanc tamen, alium finem habent. Quæ addis de saltationibus, leviora sunt, si illas saltationes intelligas, quæ ad expressionẽ iustæ victoriæ, honesti gaudij, aut magnæ libertatis fiunt. sic enim David, et alij, frequenter olim saltaverunt, addo etiam et illud, quod in nuptijs ad delectationem mentis, et alius quoq; temporibus, ad exercitationem et recreationem corporis, usus laudabilis et moderatus saltandi esse possit, modo instrumenta musica et tibicines, numeros motusq; virtutis non vt hodie numeros motusq; Veneris, et lasciviæ personent.

Albertus lib.4 et distinct.16.

Saltatio quædam licita.

An amicitia sit hic affectus vel habitus?

Opp.

Amicitia in Ethicis affectus dicitur, ut illic constat, ergo videtur probabile quod hoc loco non sit habitus.

Resp,

In Ethicis amicitia amoris filia est, hic vero in sermonis usu, et moderatione ponitur: illic definitur benevolentia, quæ est affectus, hic autem quædam species vel pars affabilitatis est, quæ habitus definitur.

An liceat bono viro de virtutibus gloriari.

Opp.

Iactantis est gloriari, ergo virtutis opus nõ est, ut hic defendit philosophus. Optimũ cõsiliũ fuit illud Catonis

Nec

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse
quare ineptum et absurdum esse videtur, quod viro veritate prædito, liceat non solum laudes ab alijs datas admittere, sed etiam suas ipsius laudes prædicare.

Resp.

Sanctissimus Iobus non discessit a virtute, neq; iactator fuit cum insultantibus amicis, sibi anteactæ vitæ probitatem et innocentiam aperuit. Laus rarissima tui ipsius esse debet, sed aliquando est valde necessaria, si vera, si iusta, si sine ulla vanitatis ostentatione fiat. Laus tui modesta licita est.

An mendacium sine intentione fallendi sit vitium?

Opp.

Intentio nec forma nec finis est virtutis, aut peccati, sed prima quasi species menti oblata, qua tanquã fomite accenso, ad agendum movetur. Non ergo vitium aut vitiosum efficit intentio, et per consequẽs mendacium ob hanc causam, vel sine hac causa vitium non dicitur.

Resp.

Quæstio non est de simplici intentione, de qua calide hic agis, sed de intentione fallendi, quæ recte intentio composita, vel cum adiuncto dicitur, et hæc quidem quodammodo forma et formatrix mendacij dicitur, quare sine hac proprie et per se non est vitium, cæterũ per accidens mendacia illa, etiam quæ sine intentione fallendi efferuntur, peccata esse possunt, ut otiosa et fabulosa mendacia, si ad malum finem destinentur.

Cap. XXXIII.

De iustitia eiusdemq; oppositis, partibus, legibus & contrarijs.

QVoniam librum Ethicorum quintũ de iustitia totum satis alibi interpretati sumus, illa (quæ de eadem materia in hoc capite dicuntur) breviter perstringã. Primum ergo philosophus, iustitiæ nomen distinguit, ut iustitia sit vel legalis, vel naturalis, legalis iterum, vel absoluta secundum virtutem, vel comparata secundum usum & consuetudinem loci, in quo vivitur. Præterea iustitia hæc partita est in commutantem quę in commerciis, & in distribuentem, quæ in honoribus dividendis cernitur. In utraq; specie iustitiæ, ęqualitas observatur, non tamen eadẽ. Hinc alia æqualitas ponderis, alia proportionis dicitur. Illa ponderis, nunc arithmetica, nunc naturalis: hæc proportionis, nunc geometrica, nunc artificialis appellatur. His positis, iustitia in genere definitur medium, inter plus & minus, inter nimium & parum, inter iniuriam facere, & iniuriam pati, hoc modo concepta iustitia, est virtus heroica, & cõmunis, aliasq; omnes virtutes morales cõtinet, quoniam nulla omnino virtutis actio, sine influentia & sceptro iustitiæ vivit. Propria autem definitio hæc est, ut iustitia sit virtus, seu habitus tribuendi cuiq; suum, vel si placet, ut sit medium proportionis, inter plus & minus, cuius trutina omnes actiones hominum,

Iustitiæ multiplex distinctio.

minum, omniaque & singula negotia civitatis rectissime ponderantur: proportionis dico, non ponderis, nam ut in rebus naturalibus, non est aliquid omnino æqualiter sic mixtum, quin unum elementorum prædominetur alteri: ita in rebus moralibus non est aliquid æqualiter sic iustum, quin ordo prioris & posterioris observetur. Nam sive iustitiam commutantem, sive iustitiam distribuentem respicias, concentus optimus & harmonia est, si prudentia & in commutandis rebus, & in distribuendis honoribus lancem iustitiæ teneat. Hoc est (exempli causa) si præscribat magis laborantibus plus utilitatis, si magis merentibus plus honoris tribuendum esse. Hanc proportionis æqualitatem, in sua republica observavit Plato, exempla in textu sunt, agricolæ qui cibum, Architecti qui domum, Textoris qui vestem, Sutoris qui calceum parare debet: quorum cuiusque est, secundum hanc proportionem, alterius necessitati subservire, eaque præstare, quæ cuique in commutatione desunt. Verum enimvero, cum ex indigentia vel pretio rerum, ista nec fieri nec observari posit commutatio (ut aliquando contingit non posse) inventa pecunia est, veluti mensura rerum, ut in commutatione unusquisque tantum acquirat, quantum sibi utile aut necessarium esse putat. *Necessitas ut vides pecuniam genuit, ratio eandem solam rerũ mensurã fecit, usurã autẽ ex illa, sola avaritia facit. O monstrũ huius tẽporis,*

Iustitia medium proportionis non ponderis.

Vsura illicita.

ris, in quo abusus pecuniæ rectius usus dicitur. O utinam sapientes hoc unum considerarent, nunquam diu florere res publicas, quæ auro sic parto saginantur, saginantur dixi? immo contabescunt potius dicerem, quia flammis chymicis, (ut ita dicam) aurum sic partum, citissime in scoriã, quintamq; essentiam commutatur. Sed pergã. Aristoteles posita distinctione proportionis & pōderis, talionis legem pythagoricã improbat. Nam si hæc lex sit iusta, seruo percusso à magistratu, liceret magistratum iterum repercutere, sed hoc non licet, lex ergo talionis non est iusta. Quod non liceat, hinc probat philosophus, quia inter regem & subditum, patrem & filium, dominum & servum non est proportio ad pondus, ut aiunt, sed ad iustitiam, quæ cuiq; suum, præscribente recta ratione, & prudētia, tribuit. Definita iam iustitia, resolvuntur dubia quędam, ut quomodo ius & iustum, quomodo iniustum & iniuria differunt. Quid moror? Ius et iustum differunt quia iustum est iussum & mandatum legis divinæ, humanæ, vel naturalis, (sic enim lex dividitur) ius autem est ipsa actio & executio legis. Iustum est, exēpli causa, ut reddere depositum, ius, ut ipsa restitutio. Ad alterã dubitationem respondet philosophus, quod iniustum etiam & iniuria differant. Nam iniuria est voluntaria læsio alicuius, contra legem dei, naturæ, civitatis: iniustum autem non solum in læsione actioneq; mali, sed etiam in omissione boni consistit, ut abnegare depositum, cui reddi debet.

Lex talionis non approbanda.

Ius & iustũ differunt.

Præter

Præter hęc, breviter discussa alia adhuc sequuntur in textu dubia, de agentibus & patientibus iniuriam, quæ ordine & loco suo, ultro citroque adhibitis argumentis soluam. Interim concludam, cum Aristotele, particulatim iam actum esse de virtutibus moris, de earum subiectis, obiectis, proprietatibus, & propositis, ad quæ referuntur. Sed ut in medicina, frustra salubria præscripta, collecta, parata sunt, nisi sanandis infirmitatibus corporis accomodentur: ita in morali philosophia, inaniter & otiose traduntur virtutum præcepta, si solum in animo impressa & inclusa, veluti in literis obsignatis lateant. Sequitur ergo ut quid sit ratio, quid sit recta ratio, quid sit prudentia (quę sunt quasi gnomones & directiones humanæ vitæ, in formandis actionibus virtutis) nunc paucis definiamus.

An sit aliqua naturalis iustitia

Opp.

Semina virtutum nobis solum insunt à natura, ut docet philosophus 2. Ethicorum, non ipsæ virtutes, ergo iustitia quæ est virtus, non est naturalis.

Tabulam consule in 2. lib. Ethic.

Resp.

Per iustitiam naturalem hoc loco legem naturæ intelligit, quæ est fundamentum omnis iustitiæ, omniumque legum, exempli causa; quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Præterea per naturalem iustitiam, propriam & germanam vim cuiusque rei insinuat, ut vim lucis in sole, caloris in igne, quæ aliter se habere non potest. Respondeo igitur ad argumentum, semina tantū virtutum moralium inesse à natura, non actus; sunt

autem

autem quædam activæ potentiæ, et habitus naturales rebus insiti, qui sæpe a philosopho leges naturales, et virtutes dicuntur, et sic hoc loco iustitia naturalis dicitur.

An unquam in iustitia sit æqualitas ponderis.

Opp.

Duo fratres aut amici veri in divisione rerum, aut honorum, æqualitate ad pōdus uti possunt, ergo aliquādo fieri potest, ut æqualitas ad pondus in iustitia existat. Antecedens probatur, quia mutua benevolentia, et æqualis inter fratres atq; amicos amor, hoc potest efficere, ut in distributione rerum et honorum ista pōderis adæquatio fiat.

Rèsp.

Primum quæro, ubi sunt tales fratres, ubi sunt amici veri? at si sint, hoc æquilibrium iustitiæ in omnibus dari non potest, quia res ipsæ et honores mutabiles sunt, quæ tam exactè librari & adæquari non possunt. Præterea hoc ipsum non convenit, si ius naturæ aut humanum spectes, tum quia flexibiles sunt voluntates hominum eorumq; merita nō æqualia, tum quia rerum ipsarū natura, motū fortunæ sæpe, non semper statum virtutis spectant.

Fortuna sepius quam virtus predominatur actionibus humanis.

Opp.

Lex talionis æqualitatem ponderis observat, quam auctor naturæ deus ipse iussit, Nā quid pondere æqualius esse potest, quam oculum pro oculo, animam pro anima, dentem pro dente reddere. Si ergo hæc lex sit iusta, ut est, quia Moses dedit, sequitur q æqualitas pōderis in iustitia vivat. Præterea natura ipsa, mater civilis iustitiæ, hoc pōdus requirit, cum iubeat vim vi repellere. Cū ergo et natura, et naturæ auctor, hanc ponderis

ponderis æqualitatem requirant, non video rationem cur eandem Aristoteles reijciat.

Resp.

Cum lex divina talionem pœnæ imperat, non negat graviorem pœnam nocenti inferri posse, si circumstantiæ, animum iudicis ad infligendam graviorem trahant, ut non satis est (carnifici qui regis oculum vi evulserit) oculum pro oculo perdere, quia gravius est in magistratum, quam in privatum ciuem, secundum legem divinam commissum scelus. Præterire hoc pondus iustitiæ non requirit natura, quæ nullum corpus æqualiter sic mixtum finxit, & quæ in iustitia sua, gradus rerum & dignitatum inæquales pondere, æquales tamen proportione fecit.

An pati iniuriam sit res voluntaria?

Opp.

Videtur esse, quia pati iniuriam est vitium oppositum iustitiæ, sed omne vitium est voluntarium, ut habetur 3. Ethicorum, ergo pati iniuriam est res voluntaria.

Resp.

Pati iniuriam sumi potest bifariam, vel pro affectu et sic non est vitium, vel pro habitu, cuius nomen hic latet, et sic est oppositum iustitiæ, et voluntarium. Nam etsi ipsa passio iniuriæ, non sit voluntaria, patiendi tamē habitus voluntarius dicitur.

Pati iniuriā quomodo vitium.

Opp.

Aliquis cui æqua pars debetur, æquam partē non sumit, sed alteri vel grandiori ætate, vel maiore necessitate laboranti, vel amicitia sibi coniuncto cedit, sed hic quicunque est, iniuriam sibi sponte infert,

infert, eandemq; illatam non invitè patitur, ergo pati iniuriam videtur esse res voluntaria. Praeterea incōtinens sponte & sciens, seipsum laedit, & offendit, quae laesio & offensio iniuria est.

Resp.

Hae duae obiectiones sunt in textu, quarum primae respondet Aristoteles, quod in ista distributione non sit voluntaria laesio, & proinde non iniuria, sed qui sic cedit alijs plus fundi, aut rerū, quam ipse sumit, laudem aut amorem ab illis quaerit, quibus maiorem partem cessit. Alteri argumento respondet, quod omnis laesio & offensio non sit iniuria, tametsi omnis iniuria sit voluntaria laesio. Quare licet incontinens, animam & corpus, sciens laedat, sibi tamen iniuriam nec infert nec illatam patitur, quia nemo volens sibi iniuriam infert. Ratio est, quoniam sic actio & passio, nempe illatio iniuriae, & vis illata, simul uni tum inessent, quod quidē est contra naturam.

Incontinēs seipsum laedit, iniuriā sibi proprie non facit.

An aequitas moderatrix iustitiae sit pars iustitiae.

Opp.

Aequitas ius (quod est executio iustitiae) impedit, ergo non videtur esse pars iustitiae, Antecedens probatur, quia aequitas aciem iustitiae retundit, iudici misericordiam (quae est compassio alieni mali & miseriae) suggerit, vocem severae legis suffocat, extremum ius moderatur, principibus praerogativam convivendi & conservandi concedit.

Resp.

Etsi aequitas severitatem legis & iustitiae mitigat, non est tamen contraria, sed amica utriq; virtuti: quippe

pe quæ maximè civitatem conservat, quam perire necesse est, si semper ius summum (quod vulgo summa iniuria dicitur) suas vires exerceret, est æquitas ergo, quasi dextra iustitiæ manus, severitas autem sinistra haberi potest. Æquitas est dextra iustitiæ.

An ignoranter iustum agens, sit dicendus iustus?

Opp.

Videtur sic esse, quia ab actione iustitiæ unusquisque denominatur iustus, si ergo iustum egerit, iustus dicendus erit.

Resp.

Voluntas, scientia, & constantia, ad omnem actionem virtutis requiruntur, at hic deficit scientia.

Opp.

Ignoranter nemo potest iustum agere, ergo inanis est ista dubitatio. Antecedens constat, quia ignorantia causa est cuncti sceleris, ut in 3. Ethicorum docet Aristoteles: at si causa sit cuncti sceleris, videtur id esse omnino iniustum, non iustum, quod ignorans facit.

Resp.

Iustum respectu materiæ, iniustum respectu personæ, factum aliquando dicitur, ut si malus iudex importunitate victus, ius concedat: aut ignoranter invadens hostem patrem defendat. Neutrum ignoranti iustum est si personam, utrumque autem iustum est, si materiam subiectam spectes. Nam iustum est, hostem invadere, & patrem defendere. Iustum duplicíter.

An existimans se hostem invadere patrē occiderit, sit inde iniustus?

Opp.

Atrocius nihil est quam patrem occidere, crassiorque

non

non est ignorantia, quam hostem à patre non distinguere, ergo sive patricidium, sive ignorantiam spectes, omnium iniustissimus haberi debet.

Resp.

Resolvit hunc nodum in textu philosophus, docet q; quod hic filius non sit appellandus iniustus, sed potius infœlix & infortunatus homo. Hic ergo de ignorantia distinguendum est, quod alia sit simplex, cum nulla deliberandi datur occasio: alia crassa, & supina, cũ ante actionem fieri potest circumstantiarum consideratio. Si priori modo filius ignoranter patrem mactarit, infortunatus: si posteriori modo ignoranter id male fecerit, patricida iniustus dicitur.

An homicida sui sit iniustus?

Opp.

Desperans sibi hoc malum facit, ergo est iniustus.

Resp.

Desperatio

Desperatio sumitur vel pro furente affectu animi, & sic non per se, sed ratione vitiorum, cum quibus cõiuncta est iniustum facit: vel pro timendi habitu, sæpe & vehementer vulnerante conscientias hominum, & sic per se vitiũ est, et simpliciter iniustum facit. Homicida tamen sui ipsius, vtroq; modo iniustus et flagitiosus dicitur, cæterum vbi hoc loco sui homicida iniustus non dicitur, non approbatur factum, crimen non extenuatur omnino, sed modus solum ostenditur, quo fit iniustus. Aliud huic argumento adhibetur responsum, nimirum quod homicida sui non sit iniustus, id est non sit iniuriam faciens sibi, nam nemo sibi iniuriam facit, et hoc responsum mihi magis placet, iniuriam autem sibi non facit homicida sui, quia nemo simul agere

Homicida sui omni modo iniustus.

& pati

et pati in eodem instanti potest, iniuriam tamen facit naturæ, cuius opus destruit; et civitati, cuius leges violat.

An iustum secundum naturam, sit melius iusto secundum legem

Opp.

Lex perfectio quædam naturæ est, ergo iustum secundum legem, est melius quam iustum secundum naturam. Præterea iusta secundum legem, ratione et virtute nitũtur, quæ iustum melius faciunt, quã quod à solum natura dependet.

Resp.

Iustum secundum naturam hoc loco, melius iusto secundum legem dicitur, quoad diuturnitatem et stabilitatem essentiæ suæ, quia nũquã mutari potest, iustũ autem legale sæpissime mutatur, immo varium et multiplex est, nam quod in una natione est iustum, idipsũ in alia natione habetur iniustũ; sæpeq; etiã in eadem civitate, si status reipublicæ commutetur. Cæterũ, iustũ secũdum naturam, perpetuum et inconcussum, idq; ubiq; manet, ut parentes filios alere eosdemq; amore prosequi. Neq; verũ illud est, quod addis, scilicet iustũ legale, a ratione et virtute semper dependere, cũ sæpissime sanciuntur leges iniustæ, quæ nec umbram rationis, nec speciem virtutis habent.

Iustitia naturalis firmior est legali iustitia

An sciens falsum de re aliqua iudicem tulisse sententiam, iniustus sit, si non exequatur?

Opp.

Sciens et volens nemo malum ageret. Iniustus ergo est, qui sciens malam de re aliqua iudicem tulisse sententiam, si eandem exequatur.

Resp.

Bonum publicum & privatum hoc loco considerandum est: falsa sententia iudicis à iustis exequenda est, si bonum civitatis spectes, quod bonum semper cōmune conservandum est. Iustus tamen, non ut falsam exequitur, sed ut ex Lege iustam. Nam sic sæpe cōtingit, quod sententia iudicis sit re falsa, si personam; vera autem, si legem spectes. Verbigratia. Accusatur Aristides; falsi prosiliunt testes, facinus in rempublicam perpetrasse urgent. Iudex testimoniis informatus, innocētem damnat; damnatum iam innocentem, executor legis iniusta, ad securim trahit; modo quantum in se est, contendat, refutentur testes, melius informetur iudex, revocetur (si fieri hoc potest) sentētia, & tandem innocens liberetur. Attende hoc loco, de iure civili, & legali, non de iure divino disputari; quippe, nihil omnino (secundum illud) contra scientiam aut contra conscientiam fieret. Multi enim olim carnifices laudantur in Ecclesia, quod potius martyres quam martyrum carnifices esse voluerunt.

Carnifices martyres esse possit.

Cap. XXXIIII.

De duplici vi mentis, & de utriusq; habitibus.

VT virtus non solum in mente sine actu, & usu delitescat, sed ad laudē hominis cui inest, & ad honorē civitatis referatur: post tractationem singularum virtutum, actus, & usus tam subiecta, quam instrumenta tradit philosophus. Subiecta virtutum sunt duæ partes, seu potentię animæ Mens & appetitus, Mens rationis cōpos, appe-

Mēs & appetitus sūt subiecta virtutum.

appetitus pars animæ rationis expers antè definitur. Iterum mens in consultatricem, & in contemplatricem partem dividitur: hæ verò partes subiectis in quibus insunt, & obiectis circa quæ versantur differũt: subiectis dico quia consultatio in intellectu practico, contemplatio in intellectu theorico, & speculativo inest. Obiectis dico, quia ut visus, odoratus, auditus, colore, odore, sono; ità vis consultandi, & vis cõtemplandi, re sensili, & re intellectuali distinguuntur: est enim consultatio tota in rebus singulis sensibus subiectis, quæ in nostram electionem cadunt: est autẽ contemplatio tota in rebus universis quę sensum omnino fugiunt. Hæc demum pars contẽplatrix in quinq; virtutes mentis dispartita est, videlicet in artem, scientiam, prudentiam, intelligentiam, & sapientiam, quibus ingenium seu solertia, & opinio hic adiiciuntur. Ars vel est liberalis, vel Mechanica. Ars liberalis definitur cõprehensio multorum pręceptorum tendentium ad utilem finem humani generis, cuius finis est actio; Ars Mechanica est quę manu, usuq; corporis perficitur, cuius finis est opus. Scientia est habitus mentis ex multis demõstrationibus deductis vel a causis, vel ab effectis constans. Prudentia est habitus rectę rationis in præscribẽdis mediis, & circumstantiis virtutum. Intelligentia definitur, habitus principiorum: id est, intelligentia ea definitur virtus, qua pręditi sine ratione à causis petita, principiis rerum, & artium assentimur, ne curiosè, & semper in quærendo causas in

Consultatio in singulis, contemplatio in universis inest.

Species virtutis intellectualis quæ sunt et quo modo definiuntur.

Resp.

Bonum publicum & privatum hoc loco considerandum est: falsa sententia iudicis à iustis exequenda est, si bonum civitatis spectes, quod bonum semper cōmune conservandum est. Iustus tamen, non ut falsam exequitur, sed ut ex Lege iustam. Nam sic sæpe cōtingit, quod sententia iudicis sit re falsa, si personam; vera autem, si legem spectes. Verbigratia. Accusatur Aristides; falsi prosiliunt testes, facinus in rempublicam perpetrasse urgent. Iudex testimoniis informatus, innocētem damnat; damnatum iam innocentem, executor legis iniusta, ad securim trahit; modo quantūm in se est, contendat, refutentur testes, melius informetur iudex, revocetur (si fieri hoc potest) sentētia, & tandem innocens liberetur. Attende hoc loco, de iure civili, & legali, non de iure divino disputari; quippe, nihil omnino (secundum illud) contra scientiam aut contra conscientiam fieret. Multi enim olim carnifices laudantur in Ecclesia, quod potius martyres quam martyrum carnifices esse voluerunt.

Carnifices martyres esse possit.

Cap. XXXIIII.

De duplici vi mentis, & de utriusq; habitibus.

VT virtus non solum in mente sine actu, & usu delitescat, sed ad laudē hominis cui inest, & ad honorē civitatis referatur: post tractationem singularum virtutum, actus, & usus tam subiecta, quam instrumenta tradit philosophus. Subiecta virtutum sunt duæ partes, seu potentię animæ Mens & appetitus. Mens rationis cōpos, appe-

Mēs & appetitus sūt subiecta virtutum.

appetitus pars animæ rationis expers antè definitur. Iterum mens in consultatricem, & in contemplatricem partem dividitur: hæ verò partes subiectis in quibus insunt, & obiectis circa quæ versantur differũt: subiectis dico quia consultatio in intellectu practico, contemplatio in intellectu theorico, & speculativo inest. Obiectis dico, quia ut visus, odoratus, auditus, colore, odore, sono; ità vis consultandi, & vis cõtemplandi, re sensili, & re intellectuali distinguuntur: est enim consultatio tota in rebus singulis sensibus subiectis, quæ in nostram electionem cadunt: est autẽ contemplatio tota in rebus universis quę sensum omnino fugiunt. Hæc demum pars contẽplatrix in quinq; virtutes mentis dispartita est, videlicet in artem, scientiam, prudentiam, intelligentiam, & sapientiam, quibus ingenium seu solertia, & opinio hic adiiciuntur. Ars vel est liberalis, vel Mechanica. Ars liberalis definitur cõprehensio multorum pręceptorum tendentium ad utilem finem humani generis, cuius finis est actio; Ars Mechanica est quę manu, usuq; corporis perficitur, cuius finis est opus. Scientia est habitus mentis ex multis demõstrationibus deductis vel a causis, vel ab effectis constans. Prudentia est habitus rectę rationis in præscribẽdis mediis, & circumstantiis virtutum. Intelligentia definitur, habitus principiorum: id est, intelligentia ea definitur virtus, qua pręditi fine ratione à causis petita, principiis rerum, & artium assentimur, ne curiosè, & semper in quærendo causas

Consultatio in singulis, contemplatio in universis inest.

Species virtutis intellectualis quæ sunt et quo modo definiuntur.

in infinitum progrediamur; Sapientia est amplissima scientia rerum tam devinarum, quam humanarum. Ingeniũ seu solertia est habitus partim naturalis, partim acquisitus citò inveniendi medium, undè sagaces, & ingeniosi dicũtur homines, nõ astuti, ut exemplo Mentoris cuiusdã insignis gẽmarii in textu ostẽdit. Opinio est imperfectus mentis habitus, quo nõ sine formidine cõtradictionis, propositionibus artiũ subscribimus, & astipulamur. His positis definitionibus singularũ virtutũ, easdem inter se confert, & à se invicem distinguit philosophus, usumq; docet earum in disquisitione veritatis, quæ est cõmune obiectum mentis, omniumq; virtutũ quæ in illa insunt. Nam ut bonum est obiectũ moris; ita verum est obiectum mentis, hoc autẽ verum vel est finitum, vel infinitum, illud coniunctum cum rebus est, hoc autem separatum, quod propriè obiectum sapientiæ dicit. Hinc discat cæcus ex Aristotele videre Deum optimũ & maximum esse, illud infinitũ trãscendẽs, & incõmutabile, tam bonum quam verum de quo in ultimis Ethicorum & Metaphys. libris egit philosophus. Hinc est quod hoc loco dicat, sapiẽtiam esse omniũ virtutũ nobilissimã & vi sua circa divina, æterna, & separata mentis obiecta solum versari, maximè autem circa veritatem quæ commutari non potest, Deum proculdubiò intelligit, in quem nullum accidens, nullam affectionẽ, aut mutationis causam posse cadere in Metaph. optimè defendit. Quę supersunt in hoc

Opinio quid.

Veritas est finita vel infinita.

In deo nulla mutatio inest.

cap.

cap. quæstiones, vel dubia sunt, quorum expositio (paucis adhibitis argumẽtis) sequetur. Cõclusio ca. hęc est; mẽtẽ esse lõgè diviniorẽ partẽ animi, quã appetitũ, seu voluntatem; sapientiam etiam esse digniorem virtutem, quam prudentiam: vitam deniq; theoricã, & contemplativã, esse meliorẽ, quã activã; quia hæc omnia ad longè meliora subiecta, media, obiecta, & fines, quam illa referuntur.

Quæst. 1. An mens rectè in partem consultatricem, et contemplatricem dividatur.

Opp.

Mens est substantia incorporea et indivisibilis ut in Metaph. et libris de anima docet philosophus, ergo in istas partes non rectè dividitur: præterea mens solum pro intellectu sumitur, qui alibi apud philosophum in simplicem et compositum, in practicum, et contemplativum, rectius dividitur.

Resp.

Mens considera-tur bifariam: { *Vel in simplici sua essentia, et sic est una, incorporea, simplex, divina, et indivisibilis substãtia per se subsistens.* *Vel in existentia, et sic comparatione facta ad rerum ideas quas percipit, rectè in has partes dividitur. Nam si circa obiecta singularia mediantibus sensibus à se percepta, versetur, cõsultatrix: si circa obiecta universalia et divina vi sua discussa occupetur, contemplatrix dicitur: huc etiã illa divisio intellectus in simplicẽ seu contemplativũ, et in compositũ seu pra-* Lib. 3. de anima.

Eticum, et activum reducitur, quippe simplex intellectus ad cōtemplationem: compositus, ad consultationem, actionem, & electionem refertur.

Quæst. 2. An consultatrix pars animæ solum circa singularia, & sensibilia versetur.

Opp.

Consultatrix pars animæ est quædam potentia activa intellectus, sed intellectus solum circa universalia versatur, ut docet philosophus in libris demonstra: ergo pars illa animæ cōsultatrix circa singularia & sensibilia tantum non versatur: præterea multa in cōsultationem veniunt quæ sensibus non obiiciuntur.

Resp.

Singularia & sensibilia considerantur duobus modis,

Vel realiter, & immediatè sub sensu & sic huius partis non sunt obiecta. Nam nihil sensibile est in mente.

Vel intentionaliter ut aiunt, et sic sunt, non autē propriè & per se, sed ratione sensuum, à quibus hæ intentiones, non aliter quam imagines à speculis reflectuntur.

Quod urges, multa in consultationem cadere, quæ sensibus non obiiciuntur, attende quæstionem nō solum de sensibilibus, sed etiā de singularibus rebus moveri: at res omnes singulares non sub sensum vi sua cadunt.

Quæst. 3. An contemplatrix pars Animę solum circa universalia versetur, rectèq; dividatur in quinq; virtutes mentis?

Opp.

Opp.

Contemplatrix pars animæ in disquisitione veri maximè versatur, sed disquisitio veri non solum in universalibus, sed etiam in singularibus inest; ergo contemplatrix pars animæ non solum in universalibus inest. Præterea vetus est illa distinctio, quod ars, & prudentia sunt actionum, & rerum singularium, scientia autem, intelligentia, & sapientia rerum universaliũ, quo concesso sequitur, à specie ad genus hoc argumentum. Ars & prudentia quæ sunt partes, & species contemplationis animæ circa singularia versantur, ergo contemplatrix pars animæ, non solum circa universalia versatur.

Resp.

Disquisitio veritatis in rebus singularibus est,

Vel externa & immediata per sensum, cum obiectum sit proprium alicuius sensus circa quod benè dispositum non fallitur.

Vel interna, & mediata per speciem: priori modo accepta solius sensus est, at posteriori modo considerata ad mentẽ spectat, quæ sub ratione universalis, res singulares colligit, collectas percipit, perceptas discutit in arte, & prudentia; ita tamen colligit, discutit, percipit, ut hæ virtutes, nimirum ars & prudentia, ideo circa singularia in consultatione, & electione versari dicantur, quia res ipsæ primariæ quas considerant veluti ortum & occasum variasq; mutationes habent.

Veritatis disquisitio universa & singularia spectat.

Quæst. 4. An sapientia ex scientia, & intelligentia constet.

Opp.

Sapientia est distincta species à scientia & intelligentia, ergo ex illis non constat.

Resp.

Vna species materialiter potest ad alterius constitutionem concurrere, ut in speciebus numeri constat: omnis enim minor numerus ad maiorem constituendũ venit. Cum vero hoc loco dicat philosophus, sapientiam ex scientia, & intelligentia fieri, haud dubiè insinuat nihil aliud quam sapientiã in rebus necessariis, & demõstrationibus versari, si scientiã; in primis autẽ causis, & principijs esse positam, si intelligentiam spectes. Est tamen in se præter hæc quoddam divinum (nempe incommutabilis, & infinitæ veritatis) speculum, in quo mens humana exuvijs corporis depositis, rerum omnium Metaph. formas intuetur.

Quæst. 5. An opinio sit virtus mentis.

Opp.

Opinio posita est in disquisitione veri, ergo est virtus mentis. Præterea hic ab Aristotele inter virtutes mentis enumeratur.

Resp.

Per se non est virtus, quia non est constans habitus animi, sed ad artem, vel prudentiam reducitur.

An Sagacitas sit virtus naturalis.

Opp.

Sagacitas definitur acumen ingenij, sed acumen ingenij est naturale: ergo sagacitas est naturalis.

Resp.

Resp.

Sagacitas seu solertia capitur duobus modis, vel	*Pro acie ingenij & sic est virtus naturalis.*
	Pro ratione expedita, & rectè inveniendi media & sic hoc loco virtus mentis dicitur.

Quæst. 7. An optimus artifex per se prudens dicatur?

Opp.

Prudens est qui omnes circūstantias in actionibus virtutis observat; sed optimus artifex omnes circumstantias in opere suæ artis observat: ergo artifex optimus rectè prudens dicitur.

Resp.

Negat in textu Aristoteles optimum artificē prudentem esse, aut dici debere, & addit exemplum cuiusdam optimi sculptoris, seu gemmarij nempe Mentoris, de quo Martialis,

Quis labor in phialam docti Myos? anne Myronis?
Mentoris hæc manus est? an Polyclete tua?

Hunc Mentorem, astutum, non prudentem appellat, sed credo equidem per astutum solertem, non insidiosum, & fraudulentum hoc loco intelligi, cum ergo dicat philosophus optimum artificem, prudentem dici nō debere, intelligit mea quidem opinione, potius solertem quam prudentem nominandum esse, quia solertia est inferior virtus animi quam prudentia; artifex ergo optimus non prudens simpliciter, sed ex parte dicitur, & hic est sensus ut opinor textus.

Quęst, 8. An prudentia omnibus virtutibus mētis imperat?

Opp.

Opp.

Prudentia est inferior sapientia ut est in textu, ergo sapientiæ non imperat; & ex consequenti omnibus virtutibus mentis non imperat.

Resp.

Prudentia omnibus virtutibus mentis imperat ut œconomus fidelis in familia: est enim prudentia sapientis viri quasi procuratrix, veluti familiæ omnium virtutum præposita; quæ dum imperat, præscribit, agit, ipsa sapientia in contemplationis arce requiescit.

Quæst. 9. An omnia mentis obiecta sint necessaria quæ aliter se habere non possunt.

Opp.

Fallitur intellectus nonnunquam, ergo illius obiecta non sunt necessaria, neq; huiusmodi quæ aliter se habere non possunt, quippe si essent immutabilia, semperque necessaria, erraret intellectus.

Resp.

Causa erroris non est in obiectis intellectus, quæ semper sunt eadē sed in medijs aut modis illa percipiendi. Cæterū attende quod hic de universalibus rebus proprie obiectis ipsius intellectus solum agatur, quæ quidē res universales necessariæ sunt, & aliter se habere non possunt, ut docet philosophus in Analyticis. Quid? an mens humana ad entia universalia, ad æterna, ad incommutabilia, ad divina, tanquam ad propria sua obiecta refertur? Deus bone; qui ergo fieri potest, ut homo obliviscatur dei? philosophus, & philosophia probant, & agnoscunt esse, (O tempora) vita & moribus christiani negant.

LIBER

LIBER SECVNDVS

Cap. I. & II.

De æquitate, & æquo, deq; recta sententia & rectè sentiente.



Ecūdus hic liber magnorū Moraliū magnas virtutū gēmas, & thesauros legentibus offert: quippe non solū à terso & polito speculo virtutum formas, et ideas reflectit, sed ipsas virtutes veluti optimis gemmariis tradit, ut easdē in animis mortaliū, tāquā in aureis annulis figant, moveantq; infinitos ad emendas has gemmas sine quibus humana vita mors est, & quasi in sepulchris latēs oblivio vitę. quid.n. prodest hominē esse si non sit prudens, si non sit iustus homo? Imò quid aliud est homo nisi immanis belua si sit iniustus, si sit iniquus homo? Hic primū de ęquitate agit philosophus, eandemq; definit iustitiæ ancillam, habenam legis, correctricem veritatis, iurisq; extremi lenientē quasi medicinā. Induta est hæc virtus purpura, & una cum iustitia pro tribunali sedet, & sine sanguine, sine severitate, causas exaudit, discutit, concludit. Verum si aliquādo in gravissimis causis reipub. inexorabilis existit iustitia, eandem dominam agnoscit suam, nec

Æquitas describitur.

nec non imperio cedit ad tempus, sed interim dum reos gladio percutit iusticia, illa veluti sensu plagarum afflicta, se in lacunas convertit: tota enim misericors est hęc insignis virt⁹. Sed ludo: vos tamen non ludo, cum æquitas verè definitur virtus, quæ secundum rectam rationē, & benevolam interpretationem iusticiæ, & legum, in eis severitatem moderatur. Est enim æquitatis non solum speciatim explicare defectus particulares legis, eosdemq; corrigere, sed etiam magistratuum affectus quantum in se est moderari. Hoc autem constat manifestò in secundo huius libri cap. Vbi quæritur, an recta sententia de lege, eadem sit cum æquitate: & an rectè sentiens, idem sit cum bono viro. Respondet philosophus simpliciter hæc eadem non esse, in eo tamen maximè convenire, quod recta sententia, rectèque sentiens eadem obiecta habeant cum æquitate. Nam qui rectè iudicat de iis quæ à legumlatorib⁹ sunt omissa, ut in ipsis legibus sunt obscura, is rectè sentiens dicitur, sed quoniam in textu desunt exempla, explicationis & perspicuitatis causa proponātur ista. Si fuerit lex lata, noctivagum quemlibet in carcerem coniiciendum fore, fortè aliquis servus à domino (repentina febri correpto) intempestiva nocte missus est ad accersendum medicum, hic servus deprehenditur, & secundum legem traheretur ad carcerē. Cæterum rectè sentiens interveniens iudicat, & decernit hunc servum non violasse legem, quippe quę solum de illis intelligēda est,

Æquitas particulares defectiones legum obiecta habet.

Æquitas exemplis docetur.

qui

qui citra ullã necessitatẽ malè agẽdi causa, in tenebris ambulant, lucem fugiunt. Aliud exemplum hoc esse potest. Sit lex data, cuilibet qui in alterum stringit gladium, dextrã manum detruncãdam esse, filius autẽ ubi unus fortè patrẽ in maximo periculo vitę positũ, destricto ense contra capitalẽ hostẽ defendit. Accusatur filius, sed ab ęquo viro rectèq; sentiẽte liberatur, quia lex solum de sicariis intelligitur qui distringunt gladiũ, ut aliis iniuriã inferãt, & hęc est ni fallor, vera, & genuina interpretatio huius quæstionis.

Quæst. 1. An minuere vim iustitiæ sit contra iustitiam.

Opp.

Vis iusticiæ eiusdem forma & perfectio est, ergo iusticiæ vim diminuere est cõtra iusticiam: anteced: probatur, quia vita iustitiæ, est vis legis; vis legis, est executio iusticiæ; quibus positis sequitur æquitatem, cuius est (ut hic docet Aristot.) diminuere vim iusticiæ, esse rem planè contra iustitiam.

Resp.

Respondetur ut antè, æquitatem esse habitũ electivum, animum iudicis inclinantẽ magis ad lenitatem pœnæ, quam severitatẽ legis. Sed in hoc, æquitas nõ sic diminuit vim iusticiæ ut tollat formam, nam forma iustitiæ est, ut cuiq; tribuatur suum, at fortasse ubi severa vox legis iubet occidi, sensus tamen legis æquitatis lance ponderatus, iubet liberari. hic retusa iustitiæ acies non est iniusta quæ aliquando contra vocem legis mandantis crucem, secundum æquitatem concedit vitam.

Quęst.

Quæst. 2. An mente legislatoris incognitâ, sequenda sunt verba legis, rebus imposita à forma.

Opp.

Verba sunt signa mentis ut libro interpret. docet philosophus, ergo mente legislatoris incognita sequenda sunt verba legis.

Resp.

Verba quidem sunt signa mentis, eademq́, imposita a formis rerum, sed quoniam magna verborum, maiore formarum laboramus penuria, verba æquivoca et multiplicia sæpissimè occurrunt, quæ multiplicē sensum, et interpretationē habent: et in hoc casu mente legislatoris ignota, iniustum erit si sonum verbi, nō sensum et interpretationē boni viri sequaris. Præterea si legũlator in particulari rerum eventu erret, haud tutum est nudis verbis inhærere; admittitur ergo vir æquus et bonus, qui sensum et sententiam tũ legis, tũ legislatoris possit et debeat expiscari.

Quæst. 3. An mali mores sint causæ bonarum legum?

Opp.

Qualis causa, est talis est effectus in bonis et malis ut docet philosophus in 2. Top: ergo mali mores non possunt esse causa bonarum legum, sed malarum potius.

Resp.

Causam hoc loco non vere effectricem, sed causam sine qua non intelligit Aristot. at in Top: de vera causa efficiente agit, vel si placet dicendum est, quod mali mores sunt vera causæ, et tamen non sequitur ratio, quia tenet hæc maxima solum in illis quæ sunt eiusdem generis.

Quæst.

Quæst. 3. An defectio legis sit magis ex parte materiæ quam lex tractat, quàm ex parte actionum humanarum quę infinitis modis variari solent.

Opp.

Materia legis est res quæ in consultationē cadit ut docet Aristot. sed hæc varia et incerta est, ergo legis defectio ex parte materiæ quā lex tractat videtur contingere.

Resp.

Materia legis est quidem illa res quæ sub consultationem cadit, eademq; multiplex, varia, et contingens. Legis tamen error non ex parte materiæ, sed ex parte actionum humanarum contingit; ratio est, quia materia legis multiplex, varia, et contingens non dicitur respectu suæ ipsius naturæ (nam simplex et constans est natura cuiusq; rei) sed quia varijs modis et medijs tractatur ab homine, cuius actiones mille modis mutari et variari solent.

Opp.

Ignorantia et improvidentia legislatoris defectionē legis gignit, ergo defectio legis nō sēper est ex parte vel materiæ, vel actionum humanarum: Antecedēs patet quia legislator ignorans futura eventa rerum, actaq; hominum, facile errat, milleq; errandi occasiones præbet.

Resp.

Male tu quidē oraculis civitatis ignorantiā obijcis: Nam ut sapientissima natura aliquando in particulari errare dicitur, cum vel ex defectu, vel ex abundantia

Cap. III.

De consultatione bona, deq; connexione virtutum cum prudentia.

VT vita hominis in corde est, & vitales spiritus per arterias, quasi per canales, in omnes partes & regiones corporis devehũtur: ita vis tota virtutis in actione consistit, quæ veluti per manus prudentię, & consultationis pulsum, motumque vitæ iustissimæ singulis reipub. partibus & mẽbris offert. Hinc est quod iterũ atq; iterũ de consultatione prudentia ac iustitia in his libris agatur, ut per consultationem vera electio, per prudentiam, studiosa actio, per iustitiam ipsa vitæ humanæ perfectio habeatur. Ordo, nexusq; istarum rerum constabit, si hoc 3. caput perlegamus, in quo philosophus, Consultationẽ bonam ita cum iustitia, & prudentia connectit, ut auream omnium in illis virtutum catenã videas. Definitur ergo hic consultatio, ut sit gnomon in horologio prudentię, qui motus virtutũ, & vitiorum umbras indicat: vel si placet definitur, prudentiæ pars illa, qua inter agenda ab homine optima, & utilissima semper ostẽdit: optima dico, quia bona consultatio (de qua hic agitur) fucata, & fortunæ subiecta bona nõ tractat, potissimum autem illa quæ inopinatò & pręter spem hominibus eveniunt. Eum etenim cui tale quippiam citra propositum, & expectationem evenerit, nequaquam consultum dicere

Consultatio describitur.

solemus,

ſolemus, ſed fortunatum, reſq; hic contingentes ſecundas, & proſperas appellamus: concludam hanc partem verbo. Conſultatio bona, non eſt ſine prudentia vera. Nam hæ geminæ ſunt quaſi ſorores ſe invicem in ſpeculo virtutis ſemper intuentes: nã ſimul hę vivunt, aut pereunt: quippe conſultatio iudex prudentiæ; Prudentia iudex conſultationis dicitur; relatio utriuſq; neceſſaria eſt, & una per alteram definitur; Quid opus eſt verbis? Quæ in textu ſequuntur, dubia ſunt de iuſtitia, per quam, ut ante docuimus, ſtat õnis perfectio civilis vitæ eſt. n. iuſtitia ipſiſſima ut ita dicã õniũ virtutũ vitę. Nã ut ſine prudẽtia in illis nulla eſt moraliũ actioniũ directio, ita ſine iuſtitia in illis nulla eſt earũdẽ perfectio. Sed dubia brevitatis cauſa in hac analyſi cap. omitto, quoniã propoſitũ eſt, quęſtionũ more eodẽ, ſub fine expoſitionis proponere, & ultrò, citroque adhibitis argumentis reſerare. Hoc interim dico, quod Ariſtoteles conſultationem, prudentiam, & iuſtitiam hoc loco copulavit, quia ſine illis aliæ virtutes morales earumque actiones conſtare non poſſunt. Hic circa finem huius capitis auream illam catenam virtutum demonſtrat, quam veluti manibus prudentiæ tradit, ut ipſa ſingulas vinculis quaſi connexas ad rectam rationem, & iuſtitiam trahat. Nam ſic ait, Inter prudentiam & virtutes morales tanta neceſſitudo & connexio eſt, ut facile in actionibus ſuis errent, ſi prudentiæ quaſi digito, et conſilio non dirigantur; digitus autem

Conſultatio & prudentia coniunguntur.

Omnes virtutes connexæ in prudentia.

tem et consilium prudentiæ est, vel recta ratio vel consultatio bona, quę iustitiam in omni actione producenda respicit. Sic prudentia est veluti centrum circa quod virtutum moralium cęlum volvitur, et in quo, a circumferentia lineę rectissimè deductæ cohærent: sunt enim virtutes quasi stellæ; animus in quo insunt, cælum dici potest; centrum circa quod hoc cælum volvitur recta ratio, vel prudentia est. Motus huius cæli, honesta actio vitæ humanæ dicitur; sol in hoc cælo deus est: finis beatitudo. Fœlix est qui hunc motum sequitur. Sed ad dubia huius capitis ordine explicanda nunc venio.

Quæst. 1. Vtrum consultatio et prudentia versentur circa eadem obiecta.

Opp.

Consultatio (ut ante docuit philosophus) de incertis est, prudentia autem de certis, cum ipsa sit virtus, ergo circa eadem non versantur obiecta.

Resp.

Circa eadem versantur, sed non eodem modo, quippe agenda vel agibilia (ut aiunt) quæ in actionē et electionem cadunt, sunt obiecta utriusq; consultationis scilicet ut sunt incerta; prudentia autem ut certa adhibitis circumstantiis fiant, certumq; ad finem referantur.

Quæst. 2. An fortuita in consultationem cadant?

Opp.

In Ethicis docet philosophus cadere: ergo malè hoc loco

loco idipsum negat.

Resp.

Fortuita sumuntur. { *Vel pro rebus incertis, quæ in nostram electionem cadunt, et sic sunt obiecta consultationis.*
Vel pro ipsius casus, ac fortunæ eventis: & sic non sunt obiecta: quippe casus, & fortuna ad consilium non admittuntur. }

Quæst. 3. Vtrùm iusti, vel assentatoris sit magis, cuivis æquale in mutuo sermone, & consuetudine vitæ reddere?

Opp.

Iustitiæ solius munus est æquale in omni actione reddere: ergo potius ad iustum virum, quam assentatorē spectat, in sermone mutuaq; consuetudine vitæ æquale cuivis reddere.

Resp.

Iusti viri est in omni actione æquale cuivis reddere distinctione habitâ personarū; verū si, exempli gratia, vir malus iusto sermone blando insidiatur, viri iusti nō est verba blanda repēdere, sed distinctione facta inter bonū & malū, dignū & indignū, illius insidias reprehendere: nam pari modo & sermone resalutare, assentatoris est, non iusti viri.

Quæst. 4. An vir iniustus verè unquam dicatur prudens?

Opp.

Vir iniustus morali, & civili scientia præditus, potest verissimè circumstantias rectè agendi, vivendiq; præscribere, sed qui verissimè circumstantias rectè a-

gendi & vivendi præscribit, verè prudens est, ergo iniustus verè prudens esse, & appellari potest. Maior, & minor ex Aristotele constant.

Resp.

Iniustus nequaquã consilio, aut recta ratione disquirit ꝙ bonũ est ut illud amplectatur, neq; corruptus, suo iudicio simpliciter, & absolutè quod bonũ est, potest discernere. Nã ut corruptus sensus circa propriũ obiectũ fallitur, ita turpiter errat iniustus in discernendo bono, quia est depravatus homo. Similitudo in textu pulchra est qua philosophus utitur, in resolvẽdo hoc argumẽto. Quẽadmodũ. n. inquit fere õnes norunt, helleborũ, elateriũ, sectionesq; mẽbrorũ, et ustulationes esse salutaria sanitatis instrumenta, & inde tamen verè medici non dicuntur, nisi eis rectè utãtur; ita iniustus, generatim cognoscit ille quidem circumstantias bene agendi esse media, et instrumenta virtutis, hic inde tamen vere prudens dici non debet, quia ad usum vitæ suæ non accommodat.

Quæst. 4. An viro iniusto connivendum est, ut supra modum ditescat.

Opp.

Nimia rerũ copia in possessione iniusti viri est quasi ferrũ in manu furentis viri quo seipsum iugulat, ergo cõnivẽdũ est viro iniusto si supra modũ ditescat, quippè immoderatè accumulatis divitijs, tãquã asinus onustus aut depressus cadit.

Resp.

Opũ affluentia, et dominatus ut hic docet philosophus in genere simpliciter bona sunt, at viro iniusto mala: quia iisdem ad iniuriam inferendã alijs utitur: quare

re ut in flore herba agrestis est evellenda, ne succrescens alias herbas salubres toxico suo veneno lædat: ita iniusto viro rapinis alienis saginato supra modum, parcendum non est, ne iniusticia plantas & fructus suffocet.

Quæst. 5. An malo, vel iniusto viro ulla fiat iniuria cum bonis suis spolietur.

Opp.

Vir malus et iniustus, est sentina civitatis & ruina virtutis, ergo ei nulla fieri potest iniuria. Nam omnis pœna debetur ei. Prætereà omnis iniuria in læsione alterius consistit, at nemo malum, & iniustum lædit illius bona tollendo, quia bona fortunæ sunt viro iniusto mala, viro ergo iniusto qui bona fortunæ tollit, mala tollit: at qui mala alicui tollit, iniuriam ei non facit: ergo malo, & iniusto viro non fit iniuria, quum bonis fortunæ spoliatur.

Resp.

Etsi vir iniustus est sentina civitatis, & ruina virtutis, is tamen illius fortunis vi sublatis iniuriam patitur. Nam quamvis iniustè acquisierit bona, iniustè tamen & contra legem nihil agere debet respublica, quæ semper iure, voceque legis regitur. Ubi dicis hæc bona fortunæ esse mala, respondeo, solum sic esse respectu abusus, qui ea mala fecit: cæterum non sunt vi auferenda malis, sed iure, & æquitate subtrahenda. Nam ut prudentes medici diu putrida febri, aut plenitudine humorum laborantibus, alimenta sensim, & pedetentim subtrahunt, victusq; rationẽ tenuiorem præscribunt: ita sapientes magistratus viris iniustis qui abundant divitijs, non vi, sed iure, non

Iniustus est pestis civitati & virtuti.

uno impetu, sed paulatim, & successivè ut aiunt aureos rivulos diminuerent, eisq; pro nectare aquam, ad hydropicam sitim divitiarum exugendam propinarent. Sic iusti fortassis ex iniustis fient, & hoc quidē est quod magistratus in omni scelere & flagitio puniēdo, maximè debet prospicere; q si respexit, medicus, non tyrannus, vir bonus, non iniquus erit. Verum enimvero si quovis humore parum turgente, Helleborum cuivis dederit, patientes occidet, non sanabit, cōsilium poetæ in hac re audiendum est,

Tunc opus helleboro est, cū iam cutis ægra tumescit.

at hodie politici novum aphorismum sequuntur, & nō tam tumidis & opulentis, quam tabidis, & miseris omninmq; rerum indigentibus helleborum propinant.

Quæst. 6. An unius virtutis actio sit repugnans alteri?

Opp.

Fortitudinis actio non est sine ira, (quæ est aculeus fortiter agentis) at mansuetudinis actio omni ira caret, ergo una virtutis actio est repugnans alteri: præterea appetitio seu inclinatio ad probè agendum est necessaria ut aliquis bonus fiat, sed hæc inclinatio est sine ratione, virtutis autem actio est semper cū ratione coniuncta, ergo non solum unius virtutis actio est contraria alteri, sed unius virtutis videtur esse contraria sibi cum ex ratione, & non ratione constat.

Resp.

Ira in actione fortis ut aculeus nō virtus movet, sed non extinguit virtutem, & sic non est fortitudinis actio actioni mansuetudinis contraria, quia utraq; sceptrum rationis tenet. Ad alteram partem argumenti

menti dico appetitionem seu inclinationem ad agendū probè non esse contrariam actioni virtutis: nam quamvis illa sit sine ratione, hæc autem cum ratione conjūcta, naturalis tamen illa inclinatio rationis imperio cedit, & sic per participationem facta est rationis cōpos, ut ipse appetitus qui semper deflectitur & devergit, quo illam rationis & virtutis habena trahit.

Quæst. 7. An virtus ullo modo deteriores faciat?

Opp.

Virtutis proprium, laus est, quæ quidem accessione nobilioris virtutis insignior facta, non aliter quam risus fortunæ, mortales insolētiores & deteriores reddit; ergo virtus aliquo modo deteriores facit.

Resp.

Virtus non est aut bonū fortunæ, aut corporis quo quisquā uti, aut abuti potest. Virtus enim nunquam est mater, aut effectrix mali: quo ergo insignior virtus, quo laus sonantior, eo vir bonus melior, non deterior redditur: applausus enim populi, & sonorus aer aurē implet, non mentem inflat: at si placet in hoc tibi concedo, quod virtus deteriores faciat, quia virtutis dentata comes invidia est, quæ semper studiosos, & candidatos virtutis mordet.

Cap: IIII. & V.

De continentia, et incontinentia, deq; feritate, & virtute eidem opposita?

Hæc duo capita sequentia de continentia, incontinentia, & feritate, sunt quasi brevissima argumenta eorum quæ postea à philosopho

de iisdem differuntur. Notandum hic est continentiam, & incontinētiā, non pro habitibus, sed pro affectibus ad bonū, vel malū motivis accipi: quod verò hoc loco dicatur virtus, similitudo, & cognatio virtutis efficit; q̄ deniq; non sit virtus hæc ratio probat, quia in omni actione virtutis ratio & appetitus rationis expers conspirant, at in continētia hęc duo sibi invicem acerrimè adversantur, siquidem ratio ad honestum impellit, appetitus cōtra nitens ad titillantem & insidiosam voluptatē allicit. Continentia ergo definiri potest optimus affectus animi, quo prędit i, ad castā integritatem, & innocētiam vitę movemur, tametsi serpens ille appetitus esca, & hamo voluptatis insidiatur nobis. Vltimū quod in hoc capite occurrit, est graduum in bono, & malo, explicatio. Hic affectus, hic continentia bonum; virtus melius; heroica virtus, sui fœlicitas optimum. Hic incontinentia malum; vicium peius; feritas omnium pessimum, nominatur. Sed sequitur proximum iam caput in quo de ista feritate agitur: quid multis? Feritas est quasi furor Herculis, fax Erynnis, monstrum & portentum extremæ pravitatis. Modum nullum habet, sed supra modum vires humanas superat Hinc definitur ipsa (ut ita dicam) vitiositas quę omne vitium immunditate, turpitudine, & malitia vincit. Si quisquā ergo hoc vitio infectus, illū diutius non hominē, sed truculentā ferā nominamus; at divinus is est dicendus qui contrariā virtutē habet: contraria. n. virtus divina est, deoq; dignissima,

ma si ulla deo inesset virtus, at deo virtus nō inest,quia deus(ut hic dicit philosophus) est omni virtute melior, quod quidem non esset verū sim hęreret virtus, quippe si deus à virtute inhęrente bonus dicatur,virtus melior deo cōcluderetur esse,ꝙ plane falsū,& absurdū est,ut hic cōcludit Aristo.ratio est.quia ut in Metaph. docet nullū accidens, aut causa mutationis in deo esse potest,quicquid est,essentia est, subsistentia est, virtusq; in deo,ipse deus est.Sed ꝙ demū nomē hęc virtus habet,quę hic divina per excellentiā dicitur? nullū certē nomē habet:rationē aliā nō reddit philosophus, quā quod sit divina, quæ in heroica excellētia sua,ut feritas in malitia humanas vires superat.Sed quæ hęc sūt tēpora,in quibus tot ferę,furiæq; gentiū ubiq; vivūt,dii vero, aut divi propemodū apparēt nulli: voce selata ingeminabo quod dixi,apparent nulli. Addam vocem emphaticā: omninò apparent nulli,aut si ulli dii sunt,terræ sunt non coeli.

Quæst.1. Vtrum ratio & appetitus in actionibus continentiæ pugnent.

Opp.

Continentia est affectus impetum prosternens voluptatis,quam semper captivam habet: ergo ratio & appetitus in illis actionibus non pugnant.

Resp.

Et si continentia voluptatem dulcissimam escam appetitus captivam in triumpho ducit, continens tamen appetitum,seu concupiscentiam aculeum perpetuum sentit,hostemq; habet capitalem.

Quæst.

Quæst. 2. Vtrum bona et mala triplici gradu comparationis differant?

Opp.

Bono nil melius, ut in Ethicis docet philosophus, ergo malo nil peius, et proinde non rectè hic docet Aristoteles quod bona et mala triplici gradu cõparationis differant.

Resp.

Intelligendus est locus Aristotelis ubi dicit bono nil melius, de essentia boni, quæ una et simplex est, non de existentia, quæ gradum comparationis habet.

Quæst. 3. An feritas sit vitium exuperans humanam conditionem?

Opp.

Est in homine feritas, ergo humanam conditionem nõ superat anteced: est in textu, ubi probat per hoc vitium homines in feras transmutari.

Resp.

Dicit Aristoteles quod feritas humanam conditionem superet: quia tantopere hominem a seipso differre facit ut potius immanis bellua, quã homo ferus dicatur; est enim feritas hominis quasi in belluam commutatio.

Quæst. 4. Vtrum in Deo sit virtus?

Opp.

Laus, honor, et virtus attribuuntur deo: ergo videtur uirtus inesse deo.

Resp.

Solvitur hoc argumentũ superius, nẽpe quod virtus nulla accidentalis insit deo. Nã in deo nullũ accidens inest, Nam sic in deo mutatio esset, quod est absurdum: deus

deus.n.bonus nō dicitur adventitia virtute,sed sua ipsius essentia. Virtus enim in deo,deus est.

Cap. VI.

De incontinentia et continentia;

PHilosophus iam dicturus de continentia et incontinentia, primum aliorum dogmata repugnantia veritati discutit, et refellit,ut inde rei veritas magis elucescat. Si quæras hoc loco cur iterum Aristoteles de continentia et incontinētia disserat,vel quia antea easdem solum obiter attigit,vel quia alio hic sensu quam alibi easdem definit,vel quia uberior cōsideratio utriusq; sāctiores reddit. Sed ut rem ipsam aggrediamur. Primum Arist. hic Socratem refellit, qui negabat omnino incōtinentiam esse; tum illorū opinionē disputat qui docuerūt incōtinētes agere sine sciētia mali quod agunt. Tertiò contra illos agit qui putabant continentes non acutioribus stimulis cupiditatum, atq; voluptatum moveri quam temperantes. Quartò infestus est illis, qui incontinentiam laudabilem esse somniarūt. Quintò probat contra alios,quod cōtinentia & incōtinētia non propriè versantur circa obiecta aliarum virtutum. Sextò adversus nonnullos demonstrat, incontinentiam circa voluptates corporis, magis culpandam esse, quā quæ circa aliud quodcunq; obiectum animi versatur. Septimò dubiū quorūdā resolvit,utrum continentia sit nihil aliud quam tolerātia,et incontinentia nihil aliud quam mollities. Octavo contra intētibus manifestè ostendit, quod idem non sit in-

intemperans et incontinens, tametsi uterq; circa voluptates corporis versatur. Nonò concludit, quod intemperans difficilius curetur quã incõtinẽs, tametsi permulti cõtrariũ sequũtur iudicium et opinionẽ. Decimò et postremò, hallucinari eos arguit, qui incontinentibus, non solũ scientiam mali quod agunt, sed etiam prudentiã benè agendi concedunt: hæc inquã omnia proponit in textu dubia philosophus, et resolvit; sed ut horum omniũ rectus habeatur usus, more disputãtiũ in Academicis spaciis, singula suo ordine accuratius pertractabo; sic textus planior, sic usus melior erit.

Quæst. I. Vtrum melius sit nescire, quam definire incontinentiam

Opp.

Mollis sermo nonnunquam animum fortis et sapientis frangit, periculosum ergo est meretricem istã, nimirũ incontinẽtiam definire, ne lascivis oculis mãmillis, verbis alliciat ad malum. Cognitum enim dulce malũ, aciem sapori et palato addit, imò incitat et rapit ad malũ. Nã malũ uisum et cognitũ primos nostros fascinauit parẽtes, infecit naturam, reliquit aculeum mali.

Resp.

Effæminatio animi nõ ex cognitione mali sed ex cognitione voluntatis propensa ad malum nascitur: definitur ergo incõtinẽtia, accuratiusq; à philosopho tractatur ut infinitũ et multiplex in ea evitetur malũ. Malũ. n. cognitum ut est in proverbio, facilius evitatur: præterea ne duplex in vita humana contingat offensio (una ex crassà ignorantia, quæ auget peccatum, altera

altera ex ipsa incontinentia, quæ incognita, non minus quam cognita depravat hominem) Aristoteles rectè detegit, et definit hanc meretricem, ut definita minus, quam latens insidiose, noceat.

Quæst. 2. Vtrum incontinentia realiter dicatur esse?

Opp.

Socrates oraculo sapiens, negavit esse, ut est in textu, ergo Arist. ætate et sapiētia minor nō affirmaret. Syllogismus Socratis quo hæc confirmat talis esse potest. Nemo est qui mala diligit, et operatur, sciens eadem esse mala; sed incontinens eligit mala et agit cognoscens esse mala, nullus ergo est incontinens.

Resp.

Sapientis non est dubitare de re qua constat, sed nimis constat ubiq; incontinentes esse. Ratiocinatio Socratis fallax est, et in ea minor propositio falsa, quia incōtinens, nec diligit, nec scit mala ut prudens, quia incontinens verè prudens aut sapiens esse non potest, sicut ante probavimus.

Quæst. 3. Vtrum incontinens ullam scientiam mali intenti habeat, et si habeat, utrum illa scientia sit vera scientia an opinio?

Opp.

Scientia (omnium notionū quæ sunt in animo) est certissima, quæ per vim in oppositū: flecti nō potest, incontinēs ergo non habet sciētiā quippe per vim, et impetum appetitus ad scelus contra notitiam rapitur: videtur ergo potius dubia ancepsq; opinio, quam indubitata certaq; quam habet incontinens.

Resp.

Resp.

Si esset scientia habitu, actuq; formata, antecedens istius enthymematis esset verum, at infirma est incontinentis scientia, velo furiosæ voluptatis cæca, curruq; furentis appetitus ad insaniam vecta; attamen hæc scientia, non est solum vacillans, & ventosa opinio. Nam tum incontinens venia dignus esset; est ergo certa scientia intenti mali, at retusa malo affectu voluptatis; certa est si pugnantem rationem, incerta si superãtem appetitum spectes.

Quæst. 4. Vtrum temperans non minorem vim, & impetum cupiditatis sentiat, quam incontinens.

Opp.

Omnis temperans est continens, ut docet Aristoteles, ergo minorem vim, & cupiditatis impetum temperans non sentit; ratio tenet, quia idem à seipso non differt.

Resp.

Omnis temperans est continens, sed non ex adverso: nam continens præter cupiditates gustus, & tactus, omnes etiam sensuum voluptates sua quodamodo obiecta habet: maiorem ergo vim, & impetum hic, quam ille insidiantium voluptatum sustinet.

Quæst. 5. An incontinens sit unquam laude dignus.

Opp.

Incontinens aliquando fallaci, & sophistica ratione illusus, bona quæ sunt credit esse mala, quẽ sic persuasum, ad his contraria furens appetitus rapit: quæ sunt revera bona, hæc si fecerit incontinens meretur laudẽ,

quia

quia opus virtutis fecit, ergo incontinens est aliquando laude dignus.

Resp.

Epicurus fortasse hoc argumentum in textu contra philosophum & philosophiam finxit. Solus enim Epicurus à delicijs Veneris, & voluptatis suas laudes quærit: sed discat hoc unum, non esse laude dignum, qui invita Minerva opus virtutis facit: quare etsi sophismate deceptus, et appetitu impulsus quod bonum est agit, benè tamen hoc bonum non fecit, non est ergo bonus, nec laude dignus.

Quæst. 6. An scientia intenti mali depereat cum incontinens sequatur affectum.

Opp.

Passio furiosa animi insidiosa voluptate tollit scientiam mali, ergo non manet cum incontinens se pravè, & flagitiosè gerit. Anteced. constat, quia appetitus & voluptas ignorantiam contrariam scientiæ in animo incontinentis gignunt.

Resp.

Non tollunt hæc scientiam mali, neque contrarium omnino habitum inducunt; sed ut dormientes, qui scientiam & boni, & mali habent, agunt, & patiuntur illi quidem nonnunquam in somno perhorrenda mala, carentes tum usu scientiæ quem vigilantes habent: ita incontinentes quasi somno aut sopore capti non admittunt scientiam mali, sed committentes malum usu scientiæ carent: non ergo scientiæ habitum, sed usum perdunt.

Quæst. 7. Vtrum lapsus incontinentis sit magis contra naturam, quam aliorum omniũ vitiorũ.

Opp.

Opp.

Cicero in offi lib. 1.

Appetitus, actusq; procreandi sunt omni animanti naturales, ut hoc modo in specie conservetur, sed lapsus incontinentis nihil aliud est, quã appetitus, actusq; procreandi, ergo lapsus incontinentis est naturalis, & per consequens non magis contra naturã, quam aliorum vitiorum, imò magis cum natura: quia magis naturã & civitatem procreando & multiplicando conservat.

Resp.

Actus procreandi est naturalis, sed eiusdem immanis abusus est, naturæ error & monstrum; lapsus autẽ incontinẽtis hoc monstrum est, & hoc monstro quiddã peius, nam incontinens peccat, non solum contra naturam, sed etiam contra naturæ ordinem, contra rationẽ, contra propriam scientiam, iudicium, & conscientiam, contra societatem humanam, & vitæ civilis legem. Contra naturam dico, quia illam destruit: contra ordinem naturæ quia modum non servat; contra rationem quia insidias appetitus sequitur; cõtra scientiam, quia sciens, prudens, impudenter peccat: contra iudicium, & cõscientiã, quia iudex suæ vitæ seipsum cõdẽnat: cõtra societatẽ humanã, quia illã violat. Postremò cõtra vitæ civilis legem, & quia alteri iniuriã infert, & multis exemplum peccandi præbet. Deforme ergo hoc mõstrum est, cuius initium obcæcatio, motus præsumptio, finis plerumq; desperatio dicitur.

Quæst. 8. Vtrum error & scientia, in incontinẽti simul inesse possint.

Opp.

Contraria simul esse in eodem subiecto non possunt, sed error & scientia sunt contraria, ergo simul in incon-

continente esse non possunt.

Resp.

Quamvis error & scientia sunt contraria, possunt tamen inesse in eodem subiecto, diverso respectu: sic respectu mentis & rationis, scientia; respectu appetitus, & voluptatis error incõtinenti inest. Vel, si placet, respondendum est, quòd scientia & error non sunt vera contraria: nam error est solùm lapsus scientis, non scientiæ, cui solùm vi sua opponitur ignorantia.

Quæst. 9. Vtrùm usus rationis in actu voluptatis penitus tollatur?

Opp.

Incõtinentis hoc dictũ est, Video meliora, deteriora sequor: *sed videre meliora non potest incõtinẽs, si usus rationis penitus tollatur: ergo in actu voluptatis omnis usus rationis non tollitur.*

Resp.

Vsus rationis est non solùm videre meliora, sed visa meliora sequi. Quid multis? persimilis est ebriosi, et incontinentis conditio: nam sicut in ebriis, cum vino obruti, & sepulti sunt, impedita est ratio; cum verò interquieverit, & resederit passio, ad actum, et usum redit: ita extincta facula libidinosa voluptatis, incõtinẽs ad priorem mentis statum, & rectum rationis iudicium venit. Cæterùm in hoc turpissimè, gravissiméque peccat incontinens, quòd ictus piscator non caveat, suosq; (cum medico) errores periculosos esse non sentiat.

Quæst. 10. An incontinentia homines tandem insanos faciat?

Opp.

Nube passionis remota, & discussa, incõtinẽs, ut hic

docet philoſophus, ad rectum uſum rationis rediit: ergo incontinentia non inſanos facit.

Reſp.

Incontinens redit ad uſum rationis, ut ebrioſus ad ſobrietatem, ſed relabitur; et ut in morbo relapſus gravius diſcrimen adfert, ita reditus ad vomitum in hoc ſcelere inſaniã gignit. Ratio eſt, quia iſta peſtilentialis febris (incontinẽtiam intelligo) ſemper vapores putridos libidinis, ſurſum in caput, et præcordia mittit: hinc mille paſſionibus, quaſi fluctibus iactatus incontinens, tandem inſanus redditur. Omitto hîc curas, dolores, vigilias, furiaſq; Veneris, quibus infiniti contabuere. Sed redeant Sardanapali ad uſum, & clavum rationis: aliter eorum ſcelera, (ut medicorum errata) non teget terra, non tegent ſepulchra, in quibus ſi nõ ſcriptum, auditum tamen erit hoc Epitaphium,

Sardanapalos hæc monumenta tegunt,
Gebenna capit, illorum infamia vivit.

Quæſt. 1. Vtrùm incontinens, et mollis idem ſint?

Opp.

Incontinentia nihil aliud eſt quàm mollities: ergo ſunt incontinens et mollis idem. Antecedens probatur, quia incontinentia eſt motus animi ineffrenatus ad illicitas voluptates, quæ definitio mollitiei convenit. Ratio tenet à coniugatis, quia ſi incontinentia ſit mollities, incontinens erit mollis neceſſariò.

Reſp.

Aut pro motu animi ad illicitas voluptates: et ſic re non differt ab incõtinẽtia. Vel pro impatientia laborum, atq; moleſtiarum,

stiarũ, & sic differt: sequitur ergo, quòd incontinens & mollis non sunt idem. Agnosco tamen sumi nonnunquam nomen mollitiei, pro immani, & non nominando scelere, contra naturam, contra naturæ ordinem, contra sexum, à quo sagax instinctus naturæ in brutis animantibus penitus abhorret, ac cæcus, mollis, & iniustus homo hoc sæpe committere nõ erubescit. Divus Thomas ait incontinentẽ, & mollẽ cõsentire in hoc, quòd uterq; eligãt illicitas voluptates: differre autẽ, quia incontinens est circa voluptates, mollis autem circa tristitias oriũdas ex defectu, vel privatione voluptatum: & iterum, quia voluptas fortiùs movet incontinentem attrahendo ad malum, quàm deprivatio vel defectio voluptatis mollem retrahendo à bono: et deniq;, quia incontinens magis propriè vinci & superari dicitur, ratione suâ pugnans contra passiones; mollisq; magis dicitur deficere, quia sine ullo conatu inescanti voluptati cedit.

Mollities sumitur bifariam:

Vtrùm mollis & delicatus idem?

Opp.

Delicatus in Ethicis definitur, qui molliter & effœminatè vivit: ergo mollis & delicatus sunt ijdem.

Resp.

Differunt secundũ magis & minus, ut aiunt, solũ. Nam mollis est, qui incontinenter omnes tristitias & dolores; delicatus verò, qui tristitiã & molestiã laborũ refugit:

refugit; ut in illo patet, qui ſuum pallium poſt ſe in pulvere & luto trahit, quia humeris ſuis miſcere aut ſuſtinere magis moleſtum ſibi videtur. Stultos hic accuſo parentes, qui tam molliter & delicatulè ſuos liberos educare contendũt, ut illos vix in aërem prorepere & prodire ſinant, omniumq; dolorum impatientes reddant: imò magis accuſo illos, qui ita deperiunt & delirant cœco animi affectu in filios, ut iiſdem veluti ubera illicitæ voluptatis exugenda præbeant, nec non permittent ludere, & volutare cum ſcortis. Vnde non ſolùm delicati, ſed molles & incontinentes fiunt.

Vtrum incontinens faciliùs quàm intemperans curetur?

Opp.

Incontinens immergit ſe in omnes voluptates ſingulorum ſenſuum; intemperans autem ſolùm verſatur in voluptatibus guſtus, tactusq;, ut antea probatur: Ergo intemperans faciliùs curatur quàm incontinens; licèt huius contrarium in textu defendat Ariſtoteles.

Reſp.

Intemperans graviore laborat morbo, quàm incontinens, quia, ut incontinens, non ſentit morbum. Nam quamvis in utroq; ratio inſit, non tamen eodem modo, ſi curam morbi ſpectes. Quippe in incontinenti Ratio medicina eſſe poteſt; quia, ut modò docuimus, cõtra voluptates, contra appetitum, contra cupiditatem pugnat, tametſi pugnans, impetu aut inſidiis voluptatis vincitur. Cæterùm in intẽperãte ratio medicina eſſe

non

non potest, quia capta & captiva est, totaq; effectrix mali. Præterea, ratio in incontinente oculos apertos habet, & videt suum malum, quamvis deterius sequatur: At ratio in intemperante cœca est, & malum non videns, concludit esse bonum: Quare intemperans difficiliùs curatur, quàm incontinens. Hoc addunt multi, quòd intemperans habitu, incontinens solo affectu sit malus; at habitus malus difficiliùs curatur, quàm affectus, quia altiores radices agit. Vbi maior pugna, ibi difficilior victoria; est autem maior pugna rationis cum voluptate in incontinente, quàm in intemperante, ut doces; ergo difficilior est victoria, & proinde difficilior cura. Ratio tenet, quia in hac pugnâ incontinens graviora vulnera, quàm intemperans inflicta sustinet, cùm intemperans omnino bellum non gerit.

Quæstio est, An ad sanam mentem facilius incontinens quàm intemperans reduci possit?

Resp.

Incontinentem faciliùs reduci posse contendit philosophus. Ratio est, quia rationem & videntem mala, et pugnantem cum malo habet, eandemq; patitur aliquo modo vincere, si possit. At intemperans hanc rationem velo malitiæ suæ obcæcat, videre & reluctari non permittit, proditorq; sui & intellectum & voluntatem tyrannidi appetitus & voluptatis subijcit, atq; ita morbum non sentiens, sine spe ulla furentis more parit. Vterque verò malus; vterque

monstrum: at factâ comparatione, vulnus in hoc quã in illo facilius curari & sanari potest.

An concupiscentiâ vulneratus appetitus, statim incontinentem rapiat ad prosequendum malũ?

Opp.

Non videtur vulneratus appetitus statim vincere; quia incontinentis ratio & scientia vivunt, & quasi syllogismos contra insidias & impetus voluptatis texunt.

Resp.

Quamprimùm appetitus delectabile apprehendit, statim flexibilem incontinentem rapit: & quamvis incontinentis ratio & scientia contra voluptates disputẽt, syllogismos tamẽ rationis nec audiens nec sequẽs appetitus, incontinentem propensum ad malum, corripere ad malum dicitur. Nam ratio furore quasi in illo victa, aut nectare voluptatis delinita, captiva ad tempus redditur, ducitur ad malum dormiens, ebriosa, cæca.

An motionibus incontinentiæ una complexio magis subiecta sit quàm altera?

Opp.

Voluptas, ut docet philosophus, (Circe illa humanæ naturæ) æqualiter omnibus convenit. Nam est mala qualitas, & nobiscum ab incunabilis enutrita. Præterea, appetitus procreandi similiter omnibus à naturâ inest: Ergo faculæ istæ utriusq̃, id est, motiones incontinentiæ non magis hanc quàm illam complexionem extimulant.

Resp.

Duæ assignãtur incõtinentiæ species; una quidẽ antici pans

pans & præveniens iudicium & rationem, subitoq; erumpens; ut cum mulier formosa conspicitur à quopiā, statim is afficitur in eam passione, pelliturq; ad malū: altera verò est tanquam imbecillitas quædam ad resistendum malo, quæ semper emergit, non sine ratione repugnante, & animum revocante ad bonum. Istarū prior, ut in textu docet philosophus, cholericis, sanguineis, & ingeniosis sæpius contingit. Posterior verò magis frigidis & melancholicis convenit; qui longius tempus deliberādi, seseq; muniendi ab insidijs et impetu voluptatis habent. Magis ergo hos, quàm illos culpandos concludit philosophus, quia hi sunt quodammodo propter frigiditatem naturæ præmuniti: Illi verò propter celeritatem spirituum, et, ut ita dicam, propter vivacitatem complexionis, subitò capti et captivi fiunt.

Vtrùm temperantia sit melior continentia?

Opp.

Intemperantia est difficilior curatu, & deterior affectus quàm incontinentia: ergo è contrario, temperātia non est melior quàm continentia.

Resp.

Continentia consideratur duobus modis: vel pro affectu subiecto imperio rationis, illecebris voluptatis renitente, & sic non est melior temperantia; eius enim affectus non est melior virtute: vel pro studioso habitu non solùm refragante voluptatibus, sed earum impetus refringente, & sic est melior, sanctiorq; virtus, quia nos castos, sanctosq; facit.

An continentior sit qui iram, quàm qui voluptatem reprimit?

Opp.

Vt fortior est habendus, qui subitò exorta pericula, quàm qui prævisa vulnera repellit; ita à simili, continẽtior habendus est, qui iram affectum subitaneum, quàm qui voluptatem lento, ut aiunt, pede invadentem reprimit.

Resp.

Voluptas innata, insidiosa est; ira autem subita animi affectio exorta; non tamen continentior est qui iram, quàm qui voluptatem superat. Ratio est, quia ira lenior & apertior hostis naturæ est, quàm voluptas, quæ ut lentum venenum sensim, sed sine sensu ad præcordia repit. Simile ergo in hoc argumento non valet, quia hostis apertus citiùs quàm insidiosus vincitur.

Vtrùm libido in belluas effusa sit incontinẽtia?

Opp.

Horrendum hoc factum excedit modum vitij: ergo incontinentia dici non debet. Antecedens probatur, quia non solùm ratio, sed ipsa natura hoc facto obstupescit, et in stuporis signum, prodigiosum plerunq; mõstrum producit, quo omnes attoniti admirentur & detestentur factum. Argumentũ tenet, quia incõtinẽtia vitium est, si consuetudine confirmetur.

Resp.

Rectè tu quidem disputas, qui probas istam libidinẽ non esse vitium, & tamen horrendum vitiorum & cæcitatis monstrum esse concludis. Respondeo ad rationẽ tuam tamen, & dico libidinem istam incontinentiam esse, quia ad illicitas & fœdas voluptates impetu passionis

sionis fertur. Concludã verò tecum horrẽdũ dictu, factu horrendum esse, & monstra hominum, qui id monstri contra Deum, contra naturam, contra rationem, scientiam, & conscientiã alunt. Sed exterritus ab his monstris resilio, & dico vix minùs monstrosos illos esse, qui virgines vi ad libidinem & voluptatem rapiunt; aut qui incestuosas spumas in matres, sorores, affines & cognatas fœminas ebulliunt; nedum illos, qui cum istis nuptias contra legem Dei, & naturæ ineunt. Nã quid aliud hoc est, quã aut redire in uterũ qui nos concepit, aut Deum contemnere qui hoc prohibuit?

CAP. VII.

De voluptate.

QVoniam voluptas est materia & seges in quâ cõtinẽtia alięq; animi affectiones versantur, peropportunè nũc de illa agitur. Est enim voluptas dulcis passio naturę, quę rationis imperio subiecta, virtutis ancilla, & fœlicitatis (ut ita dicam) musa vel philomusa dicitur; at laxatis habenis, liberaq; facta, meretrix est, fomesq; malorum omniũ. Vinũ est, si sumas moderatè; venenum, si dominari sinas. Quid multis? Voluptas est insita affectio animi, quâ homo delectabiliter motus & incitatus est ad agendum bene vel malè: vel si placet, voluptas est delectabilis motus, et quasi animæ pulsus, quo movetur homo ad prosequendũ bonũ iucundũ, et fugiendũ illud quod est, aut videtur triste & molestum.

Si

Si physicè definire velis, est quidem nihil aliud quàm dilatatio cordis, spirituumq́; vitalium ex gaudio cõcepto alicuius veri aut apparentis boni, eiusdemq́; vel præsentis in usu, aut spe futuri. Hę definitiones voluptatis propriæ sunt, solumque spectant ad hominem: generatim autem definitur voluptas, ut sit instinctus vel concentus naturæ, quo res omnes moventur ad generationem similis, & ad cõservationem sui. Hinc quidã philosophi (quos primùm refellit in hoc capite Aristoteles) dixerunt voluptatem esse nihil aliud, quàm ortum & generationem rerum: non quòd sit ortus rerum; sed quoniam sine occultâ qualitate ęquivalẽte delectationi, res nulla ad ortum perducitur. Delectatio & voluptas differunt, ut causa & effectus. Est enim delectatio, aut immanens, aut transiens actio voluptatis. De utraq;, ut hoc in loco docet philosophus, agendum est necessariò: tum quia circa voluptatem & dolorem virtutes (de quibus diximus) versantur; tum quia nonnulli inter philosophos voluptatem ipsam, ipsam fœlicitatem esse somniârunt; tum deniq; quia de voluptate nullam omnino disputationem habendam esse voluerunt, opinantes eandem virtutum, actionumq́; humanarũ bonarum comitem non esse, sed in malis semper esse reponendam. Verùm, ut inprimis refutetur eorum error, dividenda est voluptas in universalem, & singularem motum naturæ. Vniversalis voluptas est vel infinita & essẽtialis in prima causa, vel finita in effectis eiusdẽ

cau-

causæ. Particularis voluptas est vel externa, vel interna: interna, ut placid9 quasi motus & instin-ct9, quo res quęlibet naturalis ad bene esse movetur suũ: externa, ut delectabilis affectus, quo ad obiectum aliquod externum, veluti ad amicum sociũq; naturæ, non invitâ Minervâ trahitur, ut ferrum ad adamantem. Sic per priorem voluptatis motum, res quęlibet ad formam terminum perfectionis; per posteriorem affectum, res quælibet vel ad locum, vel ad finem, vel ad obiectum aliquod terminum conservationis & delectationis pellicitur. Particularis iterum hæc voluptas partita est in sensitivam, ut aiunt, & intellectivam. Illa corporis est, & nobis cum belluis cõmunis; hæc propria mentis, & virtutis. Hinc deniq; emergit illa voluptatis divisio in bonam & malam; nec nõ in meliorem, optimam; & peiorem, pessimam; secundùm comparationis gradum. Est enim, ut in textu docetur, aliqua voluptas optima, eademq; vel coniuncta cum bono suo, ut illa quę fœlicitatem humanam sequitur; vel separata, ut illa quæ in contemplatione primæ causæ cernitur. *Sic mens humana centrum primæ essentiæ, lineas infinitas perennis voluptatis, à circumferentia infinita deauctas, in se veluti in puncto unitas habet: beata quidem est mens illa, quæ Metaphysicas has lineas capit, & rectis virtutum lineis suam vitam ad hanc causam dirigit.* Sed ut hæc omnia ex textu constent, manifestum est universalem voluptatem esse; nam sic sunt verba philosophi: Quòd sicut bonum est in omnibus prędicamentis

Mens humana est veluti centrum primę causæ.

camentis, ita boni pedissequa ipsa voluptas: immo etiam, ut bonum & unum transcēdunt omnia; ita est quædā summa voluptas, quę hoc bonum unūq; sequitur. Quòd deniq; sit particularis voluptas, ut antea divisimus, hinc etiam patet, quia apertis verbis dicit Aristoteles, diversas esse species voluptatis, easdemq; subiectis, obiectis, & prædicamentis distingui. Postremò sparsim easdem penitus distinctiones voluptatis tradit, quas nos perspicuitatis causa in unam tabulam cogere conati sumus: quā rem eo multo lubentiùs fecimus, ut usus huius doctrinæ ad fructum humanæ vitæ destinetur, quæ tamen res factu difficilis est tyronibus hoc loco; quia in hoc capite, totus est philosophus in refutatione errorum circa voluptatem, & quidem in ista refutatione, ut solet, oracula obscura & abdita mysteria loquitur. Ne ergo sophistica errata veritatis pallio veloq; tecta veritatem sordidam pro honesta, & scortum veluti pro virgine adolescentulis obtrudant, operæpretium esse putavi, idipsum faciendum esse, quod feci, ut distinctione voluptatis tradita, & tractata, vera voluptas à falsa, casta ab iniusta acuratè cognoscatur: aliter sanè periculū est, ne iuvenes (qui sunt minùs idonei auditores moralis philosophiæ) dulce venenum turpis voluptatis, potiùs quàm alexipharmacum, aut antidotum castissimæ virtutis eligant. Cæterùm ut summatim quæ aguntur ab Aristotele in hoc capite, & quo ordine discutiuntur, singula intelligas, observādum

dũ est, ꝙ primò refellit opinionem eorũ qui voluptatẽ definiunt ortũ, seu generationẽ esse: deinceps illos errare docet, qui dixerũt voluptatẽ nullã esse in bonis: hinc nõ minùs falli illos ostẽdit, qui voluptatẽ idcirco malã docuerunt esse, quia malis hominibus & ipsis belluis convenit; quasi vero eadẽ bonis & malis cõvenit: postea resolvit obiectiones eorũ qui nullã voluptatem optimã esse cẽsuerũt: postremo illos insanire & delirare cõcludit, qui voluptatẽ virtutũ actionibus impedimẽto esse sõniarũt. Argumẽta sophismata sũt, & nullius ferè usus, omitto igitur, & ad magis necessaria veniã: obiter & cursoriè tamẽ hoc dicã, quòd voluptas nõ sit generatio, quia nõ est à nõ ente ad ens naturalis motus: secundò, quòd aliqua voluptas sit in bonis, cõstat, quia virtutis actionẽ sequitur: ad tertiã obiectionẽ respondeo argumẽtũ nõ tenere, quia eadem voluptas bonis et malis nõ cõvenit, sed specie diversa: quartò, manifestũ est aliquã voluptatem esse optimam, quia sine voluptate beati non vivunt: postremò, cũ voluptas bona, sit adiutrix actionis studiosæ, stultè obiicitur impedimento esse. Hæc sũma est eorũ quę in hoc capite tractãtur, nũc si quę dubia occurrãt, breviter absolvã.

An voluptas sit ens per se?

Opp.

Voluptas est in omni prædicamento, ut hîc docet philosophus: ergo est in substãtia; et ex consequẽti, est ens per se.

Rèsp.

Voluptas est in omni prædicamẽto, sed per se in nullo

lo, nisi in qualitate, ut per animi, aut corporis passione sumitur: est ergo voluptas ens per se, in qualitate, neutiquam autem ens per se subsistens, ut substãtia, ad quã tanquam accidens ad subiectum, & effectus ad causam reducitur.

An voluptas definiri posit? &, an bene definiatur?

Opp.

Voluptas est æquivocum: ergo definiri non potest. Antecedens probatur, quia est, ut hîc ait Aristoteles, in omni prædicamento.

Resp.

Voluptas sumitur aut confuse, & sic est æquivocũ; aut distinctè, & sic ut univocum hoc modo definitur, ut sit delectabilis passio rei, consequens actionem non impeditam, per quam potentia activa coniungitur suo obiecto, in quo delectatur.

Opp.

Actio adolescentis in dispositione ad virtutem non est impedita, quo minùs voluntas, quæ est activa potẽtia, coniungatur suo obiecto, nempe virtuti: sed hanc actionem semper non sequitur voluptas: ergo rectè voluptas nõ definitur. Quòd nõ sit impedita actio, probatur, quia est actio volũtatis, quæ secundùm philosophos est libera. Quòd verò eam non sequatur voluptas, etiam probatur, quia appetitus vehementer resistit, molestiamq; infert.

Resp.

Actio in dispositione ad virtutem, non est simpliciter impedita, ut ais, quare illam potiùs delectatio, quàm dolor sequitur. Ratio est, quia etsi appetitus fortiter resistit,

resistit, voluntas tamen & ratio multo fortiùs impetum repellit, unde victoria, unde etiam delectatio nascitur.

An voluptas sit in omni ente?

Opp.

Dolor ens est: sed voluptas non est in dolore: ergo voluptas non est in omni ente.

Resp.

Cum dicitur voluptas esse in omni ente, intelligitur quoad esse, & bene esse, non quoad interitũ, & non esse rerum: est autem dolor seu tristitia, voluptatis privatio. Vel si placet, dico, quòd sicut omnia appetunt suum bonum, malo non excepto, quod sui conservationem, hoc est, bonum expetit: ita omnia desiderant suum iucundum, nõ excepto dolore, qui suum bonum et iucundum habet. Nam si ens & bonum convertuntur, ipsaq; voluptas perpetua & individua comes sit boni, necessariò sequitur, quòd voluptas sit in omni ente per se, non autem in privatione entis. Sed animadvertendũ hic est, quòd sicut in appetendo bono appetitus, ita in alacriter sequendo bono voluptas universaliter hoc loco sumatur. Nam ut est in rebus omnibus naturalis appetitus, (omnia enim appetunt suum bonum:) ita in omni ente est naturalis voluptas, qua acuitur hic appetitus ad hoc bonum persequendum.

An voluptas ulla per se sit eligenda?

Opp.

Nihil per se est eligendum nisi virtus, ut in libris Ethicorum & Topicorum docuit Aristoteles: sed voluptas non est virtus: ergo per se non est eligenda.

Resp.

Resp.

Neque in Ethicis, neque in Topicis electionem per se ad solam virtutem revocat, sed ad bonũ animi: at aliqua voluptas, ut illa quæ virtutem & beatitudinem sequitur, est bonum animi: quare aliqua voluptas est per se eligenda. Alij respõdent voluptatem mentis per se eligendam, respectu voluptatis quæ sensibus percipitur: in textu verò Aristoteles per se aliquam voluptatem & optimam, & per se eligendam esse concludit.

An voluptas sensitiva magis ex defectu quàm usu boni percipiatur?

Opp.

Vsum et actum voluptatis plerunque tristitia sequitur, ut habet Aristoteles in libro problematum, (ubi quærit, cur omne animal tristatur post coitũ:) ergo voluptas magis ex defectu, quam ex usu cognoscitur. Præterea vetus est illud, quòd carendo magis quàm fruendo, rerum usum percipiamus: & ne sim molestus in hac re, hoc quidem constat, quòd libertas vinctis, sanitas ægrotis, esurientibus cibus, miseris voluptas longè gratior sit, quam illis qui hæc mala non sentiunt. Voluptas ergo magis ex defectu, quàm ex usu percipitur.

Resp.

Si intelligas per magis percipi, magis cognosci aliquo modo, cõcedimus hæc omnia vera esse quæ obijcis: sed per magis percipi, hoc loco magis sentiri intelligimus, quippe de sensitiva solũ voluptate movetur quæstio, quæ quidem voluptas in usu & actu nullam tristitiam aut dolorem secum coniunctum habet; at illa in defectu posita, spe, metu, & dolore plena est, magisque doloris

doloris quàm voluptatis habet: sitienti ergo potus gratior est, non propter defectum, qui dolorem genuit, sed propter præsentem usum, quem iam siticulosus percipit: idem dicendum est de cæteris exemplis, quæ adducuntur.

An melancholici sint deditissimi voluptati?

Opp.

Melancholici sunt brevissimæ vitæ, maximéq; infirmi, ut docet philosophus in libro de lōgitudine et brevitate vitæ: ergo non sunt omnium deditissimi voluptati. Præterea, in superiore capite melancholicos frigidos appellavit philosophus, minusq́ue incontinentes.

Resp.

Melancholici instar terræ sunt, lentóq; pede trahuntur ad voluptatem; at semel tracti, captiq́; illecebris voluptatis, diutissimè flammam cōceptam sētiūt, formamq́; Veneris semper ad sepulchrum impressam tenēt. O Sophocles male audis, quòd senex, philosophus, mortuus, in Veneris delicijs vixeris, puella super genu tuum, bubo super sepulchrum fuit. Pergam. Melancholici quidē infirmi sunt, sed eo magis devoti voluptati, tū quia illorū phantasia corrupta est, tū quia hostis faciliùs vincit, ubi infirmitatē lāguidā repugnātē, vel potiùs consentiētē habet. Quod melācholici magis frigidi, et minus incōtinētes dicantur, hoc dictum est respectu primi motus ad libidinem, non respectu consuetudinis, qua melancholici facti sunt, omniū in omni scelere, maximè in luxuria vitæ flagitiosissimi. Ingeniosissimi autem et studiosissimi, si se religi-

oni et pietati dederint. Hinc illud: Dij aut dæmones sunt melancholici.

An voluptas sit generatio?

Opp.

Voluptas est prima delectabilis actio naturæ: sed hæc est generatio: ergo voluptas est generatio. Maior constat, quia nihil in cōstitutione rerū præcedit voluptatē agendi. Probatur minor, quia si hæc actio non sit generatio, nihil est; propterea quòd hoc primùm intendit natura.

Resp.

Maior fallax est: nam voluptas non est actio, sed agentis coadiutrix qualitas, et causa. Minor etiam non est vera, quia generatio non est propriè actio: abundè hoc ipsum exemplis in textu à sensibus, et intellectu petitis, demōstratur. Nam quæ à visione rei pulchræ, aut quæ ab auditione dulcis harmoniæ nascitur voluptas, non est generatio, quia ex indigentia non est procreata: similiter de alijs exemplis dicendum est, quæ ab Aristotele adducuntur.

Vtrùm voluptas sit bonum?

Opp.

Voluptas malis et feris convenit: ergo non est voluptas bonum. Ratio tenet, quia bonum cum malo nullam affinitatem, nullum consortium habet.

Resp.

Fallax est argumentum in textu à secundum quid ad simpliciter, ut aiunt: nō enim sequitur, quia aliqua voluptas malis et feris convenit, ergo nulla voluptas bonis convenire potest: quippe est voluptas et bona, et mala, ut multis exemplis artificum et artium ostenditur

ostenditur in textu.

An voluptas sit impedimento actionibus virtutis?

Opp.

Voluptas avocat animum à virtute, ut est in septimo libro Ethicorum: ergo est impedimento actionibus virtutis.

Resp.

Mala seu fœda voluptas est impedimento actionibus virtutis; honesta autem et moderata, causa coadiutrix est, ut antè ostendimus, quia ad bonarũ actionũ consuetudinẽ movet, incitat, & impellit hominẽ.

Vtrùm dolor sit simpliciter et semper contrarius voluptati?

Opp.

Dolor est causa voluptatis aliquando: ergo non est semper cõtrarius voluptati. Antecedẽs probatur, quia in tormentis nonnunquam iusti, & patientes viri gaudent. Iustis enim & bonis viris mors ipsa ludus est.

Resp.

Respondeo patientiam, iustitiam, & conscientiam studiosi viri esse fortissima quasi mœnia, contra omnes tyrannorum impetus, et procellas, non tamen hac probant quòd dolor non sit contrarius voluptati. Nam etsi vi mentis, et confidentia causæ, fortasse doloris vulnera nõ sẽtiat patiens, est tamẽ dolor cõtrarius simpliciter voluptati, respectu ei⁹ partis in qua utrũq; inest: at si dividas subiectũ, et voluptatẽ in mẽte cõtẽplãtis, dolorẽ autẽ in appetitu corporis patientis ponas, argumẽtũ hoc tuũ insidiosum est, à bene divisis ad malè cõiuncta; quia eandẽ partem subiecti non respicis, in qua dolorem et voluptatem ponis.

An sit voluptas in Deo?

Opp.

Voluptas est accidens; ergo non est in Deo: nam secundùm philosophum, nullum accidens est in Deo.

Resp.

Voluptas divina in Deo est, non humana, eademq; non accidens, sed per se subsistens Deus. O dulcis voluptas. Quid addam? Nihil addam: quia tantæ voluptati addi potest nihil.

Cap. VIII.

De prospera Fortuna.

PRęter voluptatem mentis & virtutis, de qua nunc diximus, alia quædam bona ad fœlicitatem requiruntur, nimirum illa ornamenta fortunæ: ornamenta dico, quia non sunt principia, vestiunt tamẽ & plurimũ adornãt fœlicẽ, quippe ad existentiã fœlicitatis, non ad essentiã spectãt. Cum ergo habetur hic sermo de fœlicitate, habẽdus est sermo de prospera fortuna; tũ quia fœlicitatem ornat, tum quia fœlicem fortunatum facit. Et ut ordine hæc omnia fiãt, primùm quærit philosophus, quid sit fortuna: An ipsa natura; An mens humana; An Dei providẽtia. Naturam negat esse, quia est incerta; mentẽ humanam negat esse, quia rationis imperio nõ est subiecta; Dei providẽtiã negat esse, quia est planè incõstãs & sæpe iniusta. *Deꝰ autẽ (ut utar verbis philosophi) est dignus omni honore: & quoniã õniũ quæ in hoc mũdi ambitu cõtinẽtur, est dominꝰ; et quoniam*

Fortuna nõ est natura, non mens humana, non divina providẽtia. Deus dignus omni honore.

niam cuiq; pro merito distribuit ea quibus dignus est, bonis scilicet præmia, & malis supplicia: at cæca fortuna sæpissimè contraria facit, non est ergo fortuna Dei cura aut providentia. Quid ergo est? Vnum certè istorum est, ut ait Aristoteles, nempe natura, non tamen absoluta illa, quę est principium motus & quietis, quæq; semper propter finem indubitatum agit, sed occulta vis quædã rationis expers, quæ oculatos & sapientes fugit, & apud cæcos minusq; prudentes regnat. Hinc illud in textu, ibi esse rarissimè fortunam, ubi ratio, prudentia, & providentia vincunt. Quòd sit vis quædam naturæ, ostendit philophus, quia huiusmodi rebus inest, quæ in nostra potestate sita non sunt, quæque rarò & præter expectationem nobis contingunt: ut si fodiens terram, aut miser in serpentem, aut fortunatus in aurum incidat, si motum fodientis spectes, vis quædã naturę est; si eventa consideres, ipsa fortuna dicitur. *Natura motum, fortuna casum dedit*. At si attendas, non sine vi naturæ operantis utrumque. Natura enim est per se causa, & agit opus; fortuna autẽ est causa per accidens, & agit nihil. Ignorantibus causas, hoc nihil, aliquid; sapientibus autẽ aliquid, nihil planissimè videtur. Non est ergo fortuna natura per se, sed natura aliquâ ex parte & modo dici potest fortuna; at tum maximè, cũ contingentium rerum ignorentur causæ. Latentibus enim causis, sæpe naturæ opera fortunæ eventa dicimus. Sed plura de hac re in

Fortuna quomodo natura dicitur.

Physicis, si Deus mihi vitā indulserit, & mundus præter expectationem opes dederit, ut ipse iisdem edendis fortunatus fiā. Sed de fortuna nūc agens, cum mea ipsius fortuna & casu, nomine Casus ludo. Exempla Arist. in textu de prospera fortuna multa sunt, quæ ut satis nota & perspicua penitus omitto, venioque ad problemata & dubia resolvēda, quæ ex verbis Arist. eliciūtur.

Vtrùm ignorantia sit causa fortunæ?

Opp.

Fortuna in textu natura nomine definitur: ergo ignorātia illius causa non est. Ratio tenet, quia ignorantia incerta est, & cum certa actione natura coniungi non potest. Praterea ignorantia privatio est: ergo per se causa rei nullius est. Argumētum tenet, quia privatio est non ens, quod causa esse non potest: nam ex non ente nihil fit.

Resp.

Vt ipsa fortuna est ens solum per accidens: ita caussam non absolutam sed per accidens habet, nempe ignorantiā. At in fortuna considerantur duo, incertitudo rei, & cōtingens res ipsa. Si incertitudinem spectes, ignorantia causa est; si rem contingentem aut eventū consideres, causa vis quædam occulta natura dicitur.

Vtrùm fortuna repugnet divinæ providentiæ?

Opp.

Apertissimè Aristoteles in textu fortunam divina providentia opponit, cum hanc certam, necessariam, & iustam; illam incertam, contingentem, & iniquam

quam appellat: ergo una alteri repugnat.

Resp.

Parum attendis & observas sensum philosophi, qui opponit utrámq; quoad nos solum, & respectu ignorātiæ nostræ, cui (cum causas, vires, motus rerum omnium non percipit) multa præter expectationem contingunt, eademq; videntur mira, & dicuntur fortuita; cæterùm Deo (ut præclarè et sapienter hîc docet) omnia præsentia sunt, omnia certa, explorata omnia: illius ergo providentia facta sunt omnia. Quod dicat in textu philosophus, autorem et causam Deum nō esse rerū contingentium, sed fortunam; nec omnino illum habere curam malorum, quibus maximè fortuna favet: intelligendum est penitus eodem modo quo diximus, nimirum nec causam esse, nec curam habere quoad nos ignorantes causam & curam. Quòd vero secundum Aristotelem sit Deus causa omnium, hæc verba in textu manifestè docent: est, inquit, Deus omnium quæ in hoc mundi ambitu cōtinentur, dominus. Quòd malorum curam gerat, liquidò hinc constat, cum dicat nihil sine divina providentia fieri, nihil evenire posse. Quòd deniq; hoc loco dicat, non habere malorum curam, intelligendum est (si penitus velis considerare textum) non eo respectu habere curam, ut pro malis actionibus & scelerata vita, iisdem bona fortunæ donet; sic, inquit, iniquus, et iniustus haberetur Deus: at inquit, à Deo iniquitas omnis, omnisq; iniustitia est prorsus aliena.

Fortuna & providētia quo modo inter se repugnant.

Vtrùm fœlicitas quicquam commercii habeat cum fortuna?

Opp.

Vbi sapientia prævalet, ibi fortuna locum non tenet: sed in fœlicitate sapientia prævalet: ergo in fœlicitate fortuna locum non tenet. Maior et minor sunt Aristotelis.

Resp.

Fortuna quomodo sapienti & fœlici convenit.

Fœlix hoc loco uti fortuna dicitur, non ut domina, sed ut captiva et serva suarum actionum; idq́; non quoad essentiam et internum habitum, sed quoad existentiam et externum ornatum: sic licet fœlix sit sapiens, aliquid tamen commercij cum fortuna habere potest; non ut trahatur ad incerta eventa rerum, sed ut ipsa inserviente fortuna ornatior fiat: fœlix enim ridentem fortunam admittit, insolentem spernit.

Vtrùm fortuna prospera magis sapientibus quàm stultis conveniat?

Opp.

Sapientes verè fortunati, stulti amentes et insani dicuntur: ergo fortuna magis sapientibus quàm stultis convenit.

Resp.

Fortuna describitur.
Fortuna contumax & proterva sapientibus est stultis amica.

Vetus est illud, fortuna favet fatuis. *Ratio est ipsa definitio prospera fortuna, quæ hic ab Arist. in textu traditur. Est, inquit, prospera fortuna quodãmodo natura rationis expers, id est (si interpreteris) causa sine ratione, varia, inconstans, cæca, quæ luscos et cæcos, id est, stultos et ignorãtes, suos amicos, ad opes, dignitates, & honores trahit; doctos verò, iustos, & sapientes, tanquam hostes semper repellit, nisi veluti in bello capta sit, et cogatur ad tempus eorum usibus*

bus inservire, at sic capta insolens, perfida, & proterva manet, donec ab illis ad suos amicos redeat. Quod urges in argumento, sapientes verè fortunatos esse, verum est quod ais in hoc sensu, quòd sint fortunati, vel quia rectè utuntur fortuna prospera, vel quia adversam facile contemnunt: at docti, iusti, sapientes, raro priore modo fortunati sunt. Ratio est, quia non à fortuna, sed à divina providentia pendent.

Vtrùm omnes incertæ actiones naturæ dicantur fortuitæ?

Opp.

Omnes incertæ actiones naturæ sunt præter intentionem naturæ: ergo sunt fortuitæ. Antecedens probatur, quia natura semper intendit finem propter bonum. Argumentum tenet à definitione fortunæ, quæ est causa in raro contingentibus, præter intentionem rei quæ evenit.

Resp.

Actiones incertæ duplicē respectū habent: vel

- *Causæ suæ, hoc modo nullæ actiones naturales omnino dici possunt fortuitæ.*
- *Ignorātiæ nostræ, isto autē modo acceptæ dici possunt fortuitæ, quia sūt nobis (ignorātibus causas) incognitæ. Quod vero dicis actiones incertas fieri præter intētionem naturæ, ut verbi causa, cū monstrum fiat; Respondeo in particulari natura, non universali hoc erratum contingere.*

An aliquis sit fortè fœlix?

Opp.

Opp.

Naturali propensione ad virtutem aliquis fortè fit bonus: ergo eadẽ ratione fieri potest fœlix. Antecedẽs est Aristotelis in textu, ubi docet nativa animi generositate, & alijs dotibus, vel pueros aliquando ad virtutem amplexãdam moveri; quos, inquit, si interroges, unde hanc propensionem habent, respondent se nescire; si ulteriùs petas, cur ergo hoc agunt, respondent, quia placet. Concludit philosophus, hos fortè bonos & studiosos fieri: eodem modo de fœlici liceat disputare.

Resp.

Nec fortè bonus, nec fortè fœlix nascitur. Respondeo ergo ad locum Aristotelis, quòd fortè fiat bonus, nõ quòd fortuna bonũ efficiat, sed quòd sic affecto ad virtutem, sui affectus causa adhuc non pateat: at causa vi sua certa est, tametsi fortasse bene affecto, beneq; ex inclinatione naturæ agenti, non sit satis nota.

Vtrùm fatum & fortuna simul constent in naturalibus eventis rerum?

Opp.

Fatum est inevitabilis necessitas in rebus, causaq; per se: ergo unà cum fortuna constare non potest.

Resp.

Fatum & fortuna quo modo simul constent.

Fatũ & fortuna simul constare possunt, sed diverso modo. Nã fatũ necessariũ causarum ordinem & nexum ad producendum effectum, fortuna autem ignorãtiam causarum ordinis & nexus spectat.

Vtrùm phanatici mirabilia loquentes id fortè agant?

Opp.

Phanatici, ut est in textu, lunatici & furentes fortè sunt,

sunt: multo ergo magis fortè mirabilia loquũtur; quippe neq; intentionem sic loquẽdi, nec sagacitatem intelligendi habent.

Resp.

Phanatici & fortè sunt, & fortè loquuntur mira, si ignorantiã causarũ, & aversam intentionẽ spectes; at neutrum fortuitũ est, si causas ipsas consideres. Nã certa intemperies humorũ, causa morbi est; certa possessio dæmonũ, aut divina agitatio mentis, est causa loquendi mira. Sæpe enim homines morbis afflicti, mortiq; proximi, loquuntur mira. Ratio est, quia animus tum proximus est libertati suæ: divinitatem enim mẽs humana habet, & vi sua arcana sapit: at dum est sub hac mole corporis, raro splendescit, donec ad orbem proprium suæ libertatis evolet. Hinc est, quòd in ipso articulo mortis, sæpe homines prophetæ fiant, nec non etiã in vita aliquando, per elevationem animi ad primam causam, in qua omnia mirabilia vident: tales plerunq; sunt melancholici, dij aut dæmones, moribus, ingenio, vitâ, ut ante docuimus. Istiusmodi enim (ut docet philosophus in textu) sæpe numine afflantur, & citra rationem, quandã habent appetitionẽ ad agendũ aliquid. Dicuntur autem numine afflati, qui ob numinis quasi præsentiam furore perciti, in raptum mentis (quã extasin vocant) adiguntur, & ita alienata vel elevata mente nihil vi rationis, sed potestate numinis impellẽtis agunt. Sæpe enim mens divinitus instincta, mirabilia loquitur.

Phanatici sæpe loquuntur mira.

An sit divinum quiddam in omni fortuna?

Opp.

Omne divinum, constans & excellens bonũ est: sed in omnĩ

omni fortuna non est constans & excellens bonum: ergo in omni fortuna quiddam divinum non est. Maior patet, quia omne divinum providentiam Dei, causam sui habet. Minor constat, quia fortuna cum ignorantia & temeritate coniungitur.

Resp.

Vt respondeam huic argumento, sit hæc catastrophe huius disceptationis de fortuna, quòd nulla omnino sit fortuna, si cœlum, si naturam, si Deum spectes: nam fortuna illic solùm esse dicitur, ubi causa rerum contingentium ignoratur; at Deum nulla causa latet, aut latere potest, cum sit prima cœli, naturæ, omniumq; causarum & rerum causa, est tamẽ divinum, et si placet, numen aliquod in fortuna omni, non ut Iuvenalis cecinit, *--Sed te*

In fine Satyræ. 10.

Nos facimus fortuna deam, cœloq; locamus:

sed ut olim Hippocrates dixit in omni morbo divinũ quiddam esse, quasi diceret, aliquid semper in morbo est Deo notum, ignotum homini: sic in fortuna quiddam divinum est, respectu hominis ignorantis illius causam, fortuitum; respectu autem Dei disponentis omnia, certum & necessarium dicitur. O Deus, da veræ sapientiæ lumen intellectui, & numen nomenqúe fortunæ cedet.

Cap. IX. & X.

De perfecta probitate, rectaq; ratione?

ARristoteles hoc loco id facit, quod olim Apelles fecit, qui postquã singulas Veneris partes & membra in distinctis tabellis graphicè de-

depinxerit, omnes in unam tabulam coegit: sic cum de unaquaque virtute particulatim egerit philosophus, nunc omnes virtutes in unum quasi corpus colligit, unoque nomine communi appellat honestam probitatem. Est ergo probitas, quasi speculũ omnium virtutum, omniumque iustarum actionum veluti reflexio: in hac enim officia studentium virtuti, non aliter quàm præcepta artium in synopsi, aut epitome continentur. Rectè ergo definitur probitas, collectus habitus omnium virtutum, vel potiùs habitus rectè agendi secundum omnem virtutem, rectèque iudicandi de officiis actionibusq; virtutum. Hinc probus is quidem habetur, qui est perfectè studiosus, quiq; vera bona à falsis, solida à fucatis, externa corporis & fortunæ ab internis animi opibus bonisq; accuratè distinguit, qui denique non (ut hodie parasiti) placentia canit, non verba dat auribus, non cicutam pro medicina, non (ut utar verbis Aristotelis) insalubria pro salubribus unquam propinat, febricitanti non vinum, sed aquam, indignis non honoris præmium, sed ignominiam tribuit. Quare ut is non habetur sanus, qui verè salubria refugit, eligitq; venena, sicut plerunq; febribus laborãtes faciunt: ita is vir probus & honestus non est habendus, qui ea indicat sequiturq; bona, quæ sæpe in ruinam & offensionem utentis tendunt: talia sunt illa fortunæ bona, ut principatus, honor, divitiæ, quæ, ardenti quasi febri accensi mortales in suam ipsorum perniciem frequenter expetunt, suamq;

Probitas quid.

Fortunæ bona sunt potiùs causæ ruinæ, quàm honoris.

amq; sitim eousq; non explent, donec miseri in sepulchrũ et gehennã ruãt. Is verò, cui quęcũq; suapte natura sunt bona (sive animæ, sive corporis, sive fortunæ) etiã bona sunt, et salutaria neq; vanis fortunę aut corporis bonis depravatur, trahiturq; in scelera, is, inquã, verissimè vir probus dicitur, ut ille verissimè sanus qui salubribus medicinis acceptis sospes est, et sanitat quærit. In sequenti capite differit philosophus de recta ratione, de qua antea obiter in ultimo primi libri egerat. Ratio, cur de recta ratione agit, est, quia secundum virtutem vivere, est nihil aliud quam secundum rectam rationem vivere. Necesse ergo est, ut quid sit recta ratio, et quid sit secundum rectam rationem vivere, hîc demonstretur. Quid multis? Recta ratio est quasi lex, gnomõ, aut vox iusta prudẽtis viri: vel accuratiùs sic, si placet, Recta ratio est habitus mẽtis, qui suo imperio sẽsum, appetitũ, affectũ subdit, & semper in officio virtutis continet. Hinc secũdũ rectã rationẽ vivere, est nihil aliud quàm animæ partem sensibilẽ, & rationis expertẽ, omnesq; in ea affectus subigere, adeoq; non pati omnino, ut sensus, appetitus, aut affectus prędominentur, aut triumphent in animo; quippe hãc tyrannidem non fert natura, quæ sensus inferioresq; omnes potentias animæ, menti, & rationi subiecit, rationem autem & mentẽ subiecit nulli nisi primæ causæ, à qua lumen habet. Pulcherrimũ illud est, ꝙ de hac re in textu dicitur: nempe quòd corpus animæ causa, omnisq; inferior

Recta ratio quid.

Natura ordinem superioris & inferioris docet.

rior

rior potentia in rerum natura superioris gratia fiat. At si quæras hîc, quomodo hoc fiat, ut sensus, appetitus, et affectus naturâ suâ procaces et petulātes servi, iugo rationis coerceātur: respōdet philosophus, faciliùs hoc sensu considerantis secum, quàm philosophātis arte et præceptis percipi. Nam ut medicus nō tenetur ōnia scire, aut respōdere ad omnia, de quibus infirmus otiosè dubitat: ita philosoph⁹ ōnia nō resolvit, quæ sūt vel cuivis obvia, vel minùs necessaria. Oportet enim hominem aliquid suo ipsius sensu et animo considerare, compertumq; habere, nec omnia ex aliis quærere: tu tecū ergo revolve, et resolve mihi hoc dubium, an sensus, appetitus, aliæq; inferiores potentiæ animæ cum suis affectibus subserviant rationi? tu quidē ipse meliùs hoc nosti, quā ipse Plato; nā in teipso aut pugna aut victoria latet: hoc solū te docet philosoph⁹, si sensibus des palmam, O miser cadis; si recta ratio vincat, ter fœlix vivis: et ut sic vivas, diu vitæ auctorem precor, id ipsum quæso repreceris.

Vtrùm probitas sit omnium virtutum unio?

Opp.

Distinctarū specierū unio fieri nō potest: sed virtutes sūt distinctæ species: ergo earum unio fieri nō potest; et per cōsequēs, probitas omniū virtutum unio et collectio definiri nō debet. Maior est Porphyrij in cōmunitatib⁹ et differentijs prædicabilium: minor constat, quia virtutes sunt species distinctæ qualitatis.

Resp.

Probitas hoc loco pro habitu communiore ipsa virtute

tute sumitur, & sic species natura distinctæ uniri & copulari possunt, quippe omne magis commune minus communia continet. Alij respondent, hanc propositionẽ solùm intelligendam esse in formis substantiæ, quæ nũquam commisceri possunt, ut tertia species inde oriatur.

Vtrùm aliquis præter fœlicem posſit eſſe perfectè ſtudioſus?

Opp.

Nemo est perfectè studiosus, nisi perfectè agat secundum omnem virtutem: sed perfectè secundum omnem virtutem agit, præter fœlicem, nemo: ergo solùm fœlix est perfectè studiosus. Maior est Aristotelis in definitione virtutis: minor in definitione fœlicitatis.

Resp.

Perfectè studiosus considerari potest bifariam: vel quoad
- *Vitam activam, in hac nemo potest esse perfectè studiosus, nisi perfectè etiam agat secundum virtutem:*
- *Vitam contemplativam, at in hac potest.*

Probus perfectè ſtudioſus dicitur analogicè.

Sed attendendum est, quòd vir probus hoc loco perfectè studiosus appelletur æquivocè, non quòd perfectè semper agat secundum omnem virtutem, sed quòd rectissimè bona perfecta, ut sciens medicus pharmaca salubria, eligit.

Vtrùm recta ratio ſit ſemper norma virtutis?

Opp.

Virtus nonnunquam affectum animi in opere & actione sequitur: ergo recta ratio nõ est semper norma vir-

virtutis. Antecedens patet in fortitudine, quæ iram; in æquitate, quæ misericordiam; in modestia, quæ verecundiam sequitur. Ratio tenet, quia affectus definitur quædam animi à recta ratione deflexio.

Resp.

Omnis declinatio à summo gradu virtutis non est, ut docet philosophus in Ethicis, culpanda, si ad maius bonum & non ad vitium tendat: exempli causa, si compassio alienæ miseriæ, & spes futuræ innocentiæ, iudicem à severitate legis, & extremo iustitiæ avocent. Insuper hoc dico, quòd omni ex parte vera non sit hæc affectus definitio: nam solùm vehemens animi passio nos à virtute et recta ratione flectit.

An inferior pars animæ sit naturaliter subiecta superiori?

Opp.

Animus incorporea substantia est, eiusdemq; partes alienæ sunt à motu naturæ: ergo naturaliter una pars alteri non est subiecta. Præterea, anima est substantia naturâ suâ indivisibilis: ergo in partem priorem, et posteriorem dividi non potest. Postremò, quod naturaliter fit, aliter fieri non potest: ergo si naturaliter una pars animæ sit subiecta alteri, aliter fieri non potest: at contrarium experientiâ constat, cum sæpiùs sensus et appetitus rationem vincunt, quàm ab illa vincuntur.

Resp.

Animus consideratur bifariam: vel

Absolutè, ut est spiritus, & sic est cum suis partibus ab omni motu naturæ, & divisione alienus.

Comparatè, ut est actus corporis, et sic naturaliter moveri, dividi, & mutari potest; sed per accidens solum, respectu existentiæ suæ in corpore, non respectu essentiæ, quam semper inanem ab omni motu, divisione, & mutatione tenet: ut Aristoteles in tertio libro de anima apertè docet. Usus huius loci est, ut intelligas corpus fieri propter animam; sensum, & appetitum, propter rationem; rationem autem, propter Deum.

Utrùm ulla sit lex certa subiiciendi affectus rectæ rationis imperio?

Opp.

Affectus vehementes, sunt naturales motiones animi à recta ratione, ut in textu docet philosophus: ergo non est lex ulla subyciendi illos imperio rationis. Argumentum probo, quia quæ naturaliter insunt, aliter se habere non possunt.

Resp.

Affectus quidem sunt naturales, sed inchoatè, nō absolutè: & proinde lege rectæ rationis, & usus, mutari & coerceri possunt, ut rationis imperio obsequantur. Lex quidem hæc certa est, quia ratio certa est quæ iubet, virtus certa est quæ regit, actio certa est quæ perficit rationis, et virtutis opus. Scire

tamen

tamen hoc ipsum in quovis homine res quidem difficillima est, quia multi sunt recessus animi, multæ latebræ, quas nemo meliùs intelligit, quàm is, qui aut vulnus affectuum, aut victoriam virtutum sentit.

An notione, vel recta ratione aliquis fiat fœlix?

Opp.

Notio instruit animum, quid sit agendum, recta ratio dirigit: fieri ergo potest, ut aliquis notione rectáque ratione fiat beatus. Præterea, ut ante docuit philosophus, aliquis propensione naturæ ad virtutem fieri potest bonus: ergo multo magis notione rectáq; ratione præditus, fieri potest fœlix.

Resp.

Recta ratio hoc loco pro intentione, aut sola instructione animi, non pro executione, vel actione virtutis sumitur, & hoc modo in malo recta ratio inesse potest: ut in ægroto medico medendi scientia: sed ut æger medicus seipsum non semper sanat; ita qui rectam rationem habet, ex necessitate ad virtutem semper non tendit. Alijs enim multi rectè præscribunt, qui tamen ipsi sceleratè & flagitiosè vivunt. Alteri parti argumentationis tuæ dico, quòd non teneat ratio, quia ad propensionem naturæ, de qua Aristoteles superiùs loquitur, adiectus est usus actusqúe virtutis, qui fœlicem & fœlicitatem efficit.

Opp.

Contemplatione, ut docet philosophus in decimo Ethicorum, aliquis fit fœlix: sed notio animi cum recta

ratione coniuncta, est contemplatio: ergo notione animi aliquis fiat fœlix. Resp.

Contemplatio præter notionem animi, est immanens actio mentis, tota in virtute primáq; causa defixa: si talem ergo notionem intelligas, facile concedimus omnia; at hîc notio animi pro scientia tantùm, aut intentione animi sumitur.

Cap. XI.

De Amicitia & eius partibus?

Amicitiæ descriptio.

PHœnix iam inter mortales in theatrum volat, avis rara, avis una, avis pulchra, amicitia. Pylades olim & Orestes ceperunt hanc avem, sed citò ab illis in cœlum avolavit; recepta illic est, ad terram non rediit: dicam tamen de illa, ut si fortè à cœlo in terram cadat, signis notata, firmiùs teneatur. Salve sanctissima amicitia, gratissima est præsentia tua: fallor certè, Vbi namque es, quam sanctam, quam gratam nominavi? tui umbra apparuit, tui umbram sequar. O dulcis amicitia, cuius umbrâ tantopere delectamur. Sed ludo, & tamen non ludo, quia solum *nomen amicitiæ vivit, res ipsa non vivit; nã si viveret, tanta caritas charitatis non esset.* Amicitia enim omnes charos & dilectos reddit, immo reddit beatos, ut hic docet philosophus: nam hinc prima huius capitis petita est conclusio, ideo scilicet agendũ esse de amicitia, quoniã in omni vitæ statu, summo, infimo; in omni fortuna, secunda, misera; in omni tempore, primo, ultimo, necessaria est ad virtu-

Nomen solum amicitiæ in terra vivit.

Amicitia in omni parte vitæ necessaria.

virtutem & fœlicitatem amicitia. Iustus enim non est, si desit concordia; fœlix non est, si desit amicitia. Verùm ut hoc ipsum dilucidius patefiat, multa hìc Aristoteles præcepta tradit, multa etiam dubia & difficultates de amicitia movet. Præcepta quæ tradit, consistunt maximè in duobus, nempe in distinctione, & definitione amicitiæ. Distinctio est, ut alia sit innata amicitia, alia acquisita. Innata duplex, una communis, quę est cõcordia et quasi harmonia õniũ: alia minùs cõmunis, quę in sẽsu & ratione utẽtibus manifestè cernitur; sic graculi cũ graculis, colũbi cũ colũbis facilè cõiungũtur: & sic inter patrẽ & filiũ, virum & uxorem, dominum & servum, vi quâdam naturæ insita est dilectio, quæ naturalis amicitia dicitur. Acquisitæ amicitiæ tres hoc loco species à philosopho assignantur, utilis, iucunda, & per se honesta: utilis spe lucri, iucunda spe voluptatis, honesta anchorâ solius virtutis fulcita est. Duæ priores species amicitiæ, tam bonis quã malis convenire possunt, frequentiùs autẽ malis, quia avidiùs quæstum et voluptatem mali, quàm boni aucupantur. Boni autem probiq; viri & suos utiles aliquando amicos, et iucũdos habent, non tamẽ sordidos illos, qui è sterquiliniis opes effodiunt, aut libidinosè ut lenones vel parasiti vivunt, sed qui divitias iustè acquirũt, et qui salibus ingenii honesti capiuntur. Boni enim et iusti viri (mortales cum sint) tam opes ad usum, quàm voluptates ad oblectamẽtum animi moderatè quærunt. Verùm cum

Amicitiæ plures species.

duæ illæ priores ſpecies amicitiæ ſunt in bonis ſæpiùs fluentibus ad malum, quàm bonum: bonorum eſt cavere ſibi, ne navigantes ad portũm in ſyrtes incidant; quippe in divitiis & deliciis, eſca dulcis, ſed plena veneno latet. Vtilis ergo amicitia & delectabilis illa, ambæ, inquam, ſæpiuſculè meretrices ſunt, fronteq; ſua picta in amplexũ ſuum viros incautos trahũt. Eccho ſolum virtutis in illis eſt, non vox ipſa virtutis: non n. neſciunt avari, & paraſiti ſub pallio amicitię, nominéque amici diſſimulare mala; quippe ad unguem illud didicere poetæ,

Ovidius de arte amandi, lib. I.

Tuta frequenſq; via eſt per amici fallere nomen.

At virtutis vocem non audiunt, aut ſi audiũt, rectè quidem non intelligunt,

Tuta frequenſq; licèt ſit via: crimen habet.

Quid reſtat? niſi ut cõcludã cũ philoſopho, neq; cõmunẽ, neq; minùs cõmunẽ in concentu rerũ, neq; inſitã, neq; acquiſitã, eã ſcilicet, quę in utilitate aut voluptate ponitur, eſſe verã amicitiã; ſed eã ſolam, quę inter bonos eſt, & virtutis nomine definitur. Hæc, n. ſola conſtans, ſtabilis, & firma eſt, quia virtus ex qua coaleſcit, firma & inconcuſſa manet. Hæc (ſi definire velis) eſt duorũ hominum in unũ veluti metamorphoſis & trãſmutatio: vel, ut quidã rectè dixit, eſt unitas duorũ, quia ex duobus unũ fide & cõſenſu facit. Vis ergo magna, vis mira eſt veræ amicitiæ; quippe ut fomes & magnes virtutis, incẽdit & trahit ad unitatem omnia. Quare ut Sol oculus cœli; ita amicitia anima mundi dicitur: ſed mortalis hęc anima

Amicitia quid.

nima fuit, qua mundus privatus, & in discordiã nunc lapsus, non aliter quàm corpus sine vita iacet. Sed quid opus est verbis? hęc anima, hęc vera amicitia definitur à philosopho mutua, firma, & studiosa benevolẽtia inter duos, virtutis causâ suscepta, morũ & studiorũ similitudine corroborata, æqualitate iusta, fœlicitate sancta. Brevius sic: Amicitia est virtus, vel affectio virtuti simillima, quæ solum bonos reciproco amore beatos facit. Brevissimè autẽ hoc modo: Amicitia est bonorũ affectio in cõsensu virtutis, & fœdere veri amoris posita. Huius obiectũ est amabile bonũ ꝑ se, nõ utile, nõ iucũdũ, nõ voluptuosum illud, de quo modò diximꝰ. Brevis ero: Pater huius virtutis est reciprocus amor, mater similitudo morũ, filia una, dulcedo vitæ; altera, vitæ perfectio, nẽpe beatitudo. Nã nihil magis in hac vita beatos facit, quàm vera amicitia, sit illa vel cum aliis contracta, vel in teipsum conversa. Quid? An potest quispiam esse amicus sibi? quî hoc constet cum definitione amicitiæ, in qua ad minimum requirit duos? Interroga Aristotelẽ, & docebit te, quomodo duo unus fiant, cum amicus sit alter ego: & etiã quomodo tibi amicus fias, cùm animæ partes in consensu virtutum uniantur, quæ aliter inimicę & discordes natura sunt. Vis esse? vis bene esse? affectasnè bona? maximè teipsũ diligis? amicus certè es ipse tibi, nã hęc sũt officia verę amicitię. Si ergo volũtatẽ & mẽtẽ virtutis imperio subiicias, si secũdũ rectã rationẽ & virtutẽ vixeris, si quę vera sint bona,

Amicus sibi quomodo aliquis esse potest.

dilexeris, amicitia in teipsum conversa est, & si desit tibi Lęlius, Lælius tamē in teipso vivit. Sed *O misera ætas mundi, in qua nec alijs, nec nobismetipsis verè amici sumus*. Postremum quod requirit Aristoteles in hoc capite, est, ut amici sint ęquales: hinc illud solum insinuans, quòd dispar amicitia, qualis est inter regem et subditū, inter dominum et servū, inter patrē et filium, inter virū et uxorem, non sit perfecta et per se nominanda amicitia: naturalis enim vel civilis amor, potiùs quàm fidelis amicitia dicitur.

Vtrùm amicitia sit necessaria in omni statu vitæ?

Opp.

Est solitarius quidam status vitæ, idemq; alienus ab omni societate, ut docet philosophus in primo Politicorum: ergo est aliquis status vitæ, in quo non est necessaria amicitia. Ratio tenet, quia in omni amicitia est societas; nam aliter non potest esse reflexio, et reciprocatio amoris.

Resp.

Vita duplex est: theorica, quæ illic; activa, quæ hîc intelligitur. In theorica vita aliquando contingit, ut exurgat Deus aut dæmō inter mortales, qui omnem societatem et communionem diffugit: Deus, si alta mente defixus in Deum vivat; dæmon, si consciētia suorum scelerum confixus, lucem et societatem fugiat. Cæterùm in statu activæ vitæ, de quo hîc agitur, pars nulla carere amicitia & societate potest. Præterea dico, quod Theophili istiusmodi, qui eremitica vita delectantur, usum amicitiæ in consensu

sensu appetitus et rationis, voluptatis et mentis, corporis iam victi, et animi triumphantis sentiunt.

An sit naturalis aliqua amicitia, eademq; inter similia vel dissimilia?

Opp.

In omni amicitia debet esse reciprocus amor: sed in naturali amicitia non est reciprocus amor: ergo non est naturalis amicitia. Maior est Aristotelis in hoc capite: minor probatur, quia in rebus naturalibus non est usus rationis aut sensus, quæ solùm hunc reciprocum amorem gignunt.

Resp.

Etsi Aristoteles in primo Physicorum amicitiam negat fuisse causam & principium rerum, res tamen naturales sine amicitia esse non negat: quo illic concludit, ex contrariis principijs oriri veluti incredibilem concentum & harmoniam in effectis, ut constat in cantu optimo, qui ex sonis discordibus vocibusq; diversis constat. Quod urges, hoc posito, reflexum amoris requiri: respondeo quidem in rebus sensu & ratione carentibus, esse mutuum quasi motum amoris. Instinctu enim naturæ veluti gratæ, res inaminatæ fiunt; non autem est mutuus hic amor perfectè nisi in solo homine, in quo propriè & per se amicitia ponitur.

Opp.

Naturalis amicitia est nihil aliud quàm unio rerum diversarum, non similium: ergo amicitia naturalis potiùs est inter contraria, et diversa, quàm cognata, et similia. Antecedens constat, quia ipsa principia quæ sũt cõtraria, amica fiũt in õni affectu. Ratio tenet

quia

quia contrarium magis contrario eget, quàm sui simili: amat enim terra pluviam, (ut ait Euripides) cũ exaruit.

Resp.

Principia rerum naturalium considerantur duobus modis:

In se, & sic sunt contraria.

In effectis suis, & sic sunt amica, et vinculis quasi amicitia inter se unita. Malè igitur urges quòd naturalis amicitia sit ex contrariis, quia principia in se considerata, sunt diversa; aliquid esset quod urges, si in ipsis compositis probares disiuncta: quòd deniq; urges poetã, & ex illo exẽplũ; dico hoc non probare propositum, quia in unione pluvia cum terra, non est contradictio, sed singularis consensio, quæ naturalis amicitia dicitur.

An nihil in hac vita sit factu difficilius quàm amicum fieri?

Opp.

Quod vel à natura inest, vel naturã sequitur, non est factu difficile: sed amicũ fieri est à natura, vel naturã sequitur: ergo amicũ fieri nõ est difficile. Maior cõstat: minor probatur, quia amicitia est naturalis affectus, eiusq; causa amor: amicũ ergo fieri est naturale, eiusq; causa nasci ad societatẽ. Præterea difficilius est fœlicẽ, quàm amicũ fieri.

Resp.

Ami-

Naturali amore, similitudine morũ incæpto, et cõsuetudine vitæ corroborato, et sic est affectus naturalis, factuq; facilis.

Interno habitu voluntatis, ratione incæpto, et virtute confirmato, et sic quia difficile est

citia consideratur duobus modis: vel pro

est studiosum esse, difficilius est factu, amicum fieri. Tot enim sunt insidiæ & illecebræ tum naturæ, tum fortunæ, ut voluptates, divitiæ, honores, quibus à fide & fœdere amicitiæ avocantur mortales. Quod addis difficilius esse fœlicē quā amicū fieri, nego, quia satis est ad fœlicem, ut verè studiosus virtutis fiat: at hoc satis non est, ut verus amicus fiat. Præterea fœlix in seipso unus et singularis est, amicus verò alterius fidem observandā habet: at nihil difficilius est, quàm unum animum ex duobus fieri; nihil difficilius, quam omnes latebras & recessus in animo alterius observare, aliumq; sic vincere, officioq; tibi vincire, ut is tibi, tu illi unus, idemq; fias.

Vtrùm reciprocus amor amantis in amatum, sit propria causa amicitiæ?

Opp.

Similitudo morum, & societas vitæ sunt proximæ causæ amicitiæ; amor autem est prima, communis, & remota causa: ergo propria nō est. Amor prima est causa, quia primùm movet; remota, quia prima; communis, quia ipsis belluis etiam est accomodata.

Resp.

Amor reciprocus

Naturali instinctu, in omni ente, quo res quælibet ad sui simile generandum et quasi diligendum movetur.

Sensibili quodā motu, & appetitu, ut in brutis animātibus, quæ gratū veluti ani-

sumi-

ſumitur trifariã: vel pro | *mi officium ſui amantibus reddunt.*
Benigno affectu appetitus in homine, qui ratione ad amicitiam, & ad conſtantiam in ea nos trahit; & hic amor eſt proxima, propria, & coniuncta cauſa veræ amicitiæ. Eſt enim hic amor individuus comes amicorũ, qui omnia amicorum communia facit, redditquè amicos ingenio, moribus, fide, benevolentia pares.

Vtrùm bonum amabile & amandum ſit idem?

Opp.

Amabile & amandum ſunt coniugata: ergo reipſa ſunt eadẽ. Ratio tenet, quia coniugata ſola ratione differunt.

Reſp.

Hoc loco ad idem non referuntur ab Ariſtotele hæc duo. Nam amabile bonum id dicitur, quod eſt per ſe bonum: amandum autem, quod reſpectu huius vel illius occaſionis bonum appellatur, ut opes reſpectu liberalitatis, reſpectu magnanimitatis honor. Amabile igitur eſt per ſe obiectum veræ amicitiæ, non ſemper amandum. Nam id ſæpe amatur, quod per ſe amabile non eſt. Sola enim amabilis virtus eſt, aliaq; amanda propter virtutem. Reſpondeo ergo hæc non eſſe vera coniugata, cum ad idem non ſunt relata.

Vtrùm ulla ſit inter virum probum & improbum amicitia?

Opp.

Improbus poteſt eſſe utilis & iucundus viro ſtudioſo: ergo poteſt eſſe amicus; & ex conſequenti poteſt eſſe inter virum probum & improbum amicitia. Nam dividitur amicitia in utilem, iucundam, & honeſtam.

Reſp.

Resp.

Id solum utile & iucundũ est, quod est amabile & honestum. Improbus autem nec amabilis nec honestus est, & ideo nec utilis, nec iucundus amicus haberi debet: illo tamen uti licet probo, & sapienti viro; sed uti licet, ut servo, nõ amico; ut instrumento, non ut socio vitæ. Nam ut scoria cum auro, palea cum grano: ita utilis & iucunda improbi societas cum vera amicitia iungitur.

Vtrùm amor Dei erga mortales dicatur amicitia?

Opp.

Si id quod magis convenire videtur, conveniat, & id quod minus: sed nobilissimum & divinissimum bonum in amicitia Deo convenit: ergo etiam ipsa amicitia convenit. Minor probatur, quia maximum bonum in amicitia est, alium diligere propter se, suumq; amicum bonum, sibiq; virtute similẽ efficere: sed hoc maximè Deo convenit, qui hominem propter se diligit, eumq; sibi sola virtute iungit.

Resp.

Deus hominibus plusquam amicus est, quia Deus est: amor ergo Dei plusquam amicitia est, quia amor Dei est. Ad argumentum igitur dico, verissimum illud axioma esse in illis quæ comparari possunt: sed infiniti cum finito, æterni cum caduco, divini cum humano, ipsius Dei cum homine nulla fieri potest comparatio, reciprocatio æqui amoris nulla. Quòd vero nos diligat Deus, voluntatis est; quòd nos ad se trahat, potentiæ est; quòd nos sibi similes virtute efficiat, ut amici Dei vocemur, solius beneplaciti

Deus homini amicus quomodo.

Homo nihil meretur à Deo.

citi, et benignitatis est; meremur nihil, nihil tãto amore dignum rependimus.

Vtrùm amicitia in utilem, iucundam, honestam, ut genus in species dividatur?

Opp.

Aristoteles in textu dicit amicitiam esse genus, et tres istas species enumerat: ergo est divisio generis in suas species.

Resp.

Nomen generis hoc loco analogicè, non propriè sumitur: sunt enim hæ æquivocè species amicitiæ. Cæterũ attende, si verissimè nomen utilis et iucũdæ amicitiæ intelligas, nimirum ut nihil sit utile sine virtute, nihil iucũdum sine affabilitate, aut comitate; rectè quidem hæc species dici possunt, quia virtutes distinctas suas causas, et fundamenta habent.

Vtrùm æqualitas personarum, proportio rerum, similitudo morũ, semper et necessariò ad veram amicitiam requirantur?

Opp.

Vera et essentialis forma amicitiæ est sine ista proportione personarũ, rerũ, et morũ: ergo hæc tria ad verã amicitiã non requiruntur. Antecedens probatur, quia vera et essentialis forma amicitiæ, est mutua et (ut ita dicã) idẽtica dilectio amicorũ. Præterea, si hæc tria essent ad amicitiã necessaria, ut pauper nullus, magnificus; ita pauper nullus amicus esset: quippe inter potentem et pauperem, nulla est æqualitas personarum, nulla proportio rerum.

Resp.

Uno verbo respondetur huic rationi, quòd hic æqualitas

litas personarum, rerum, morum, non ad pondus, sed ad iustitiã intelligatur. Iustitia autẽ nõ æquilibriũ arithmeticæ, sed geometricæ proportionis observat; et sic magnis viris honesti et studiosi pauperes possunt æquivalere: & certè rationem non video, cur in illis nobilitas generis, ornamẽta virtutis in his contemneret. Rarò nobilium aut amor, aut amicitia in egentes studiosos fluunt. *O utinam sapiùs fluerent, ut hi ab illis occiduas opes, ab his illi perennes virtutes & honores capiant.*

Vtrùm amare sit melius quàm amari in vera amicitia?

Opp.

Amari est perfectio amoris, amare autẽ eiusdem motus, et quasi transitus amantis in amatum: ergo amari est melius, quã amare. Antecedens constat, quia amare est actio transiens ipsius amãtis; at actio est quidam motus adhuc non fixus: cum verò ad terminum aut subiectum amatum pervenerit, tum fixus amor et perfectus est: hic autem amor non actio, sed passio; non amare sed amari dicitur.

Resp.

Vt melius est dare quàm accipere in liberalitate: ita melius est amare quàm amari in vera amicitia. Quod verò urges amari esse perfectionem activam amoris; libenter concedo perfectionem esse: sed respondeo hìc respectum non haberi operis facti, sed melioris meriti: at comparatione facta, nemo philosophorum inficias ibit, quin is qui amat, quàm qui amatur, plus longè mereatur.

Vtrùm

Vtrùm deficientibus fortunis, mutuus amor sufficiat in amicitia?

Opp.

Deficientibus amicis, ut docet philosophus, non est beatus: ergo deficientibus fortunis multo minus est amicus; & ex consequenti, deficientibus rebus, mutuus amor nõ sufficit. Argumentum hoc tenet à maiore ad minus. Nam magis videtur posse constare fœlix sine amicis, quàm amicus sine fortunis, cum in amicitia rerum proportio requiratur.

Resp.

Fœlix & amicus cõsiderari possunt duobus modis: vel

Quoad esse, & sic fœlix sine amicis, & amicus sine fortunis esse potest.

Quoad bene esse, & sic non potest: nam ut magnus ardor mentis in fœlicitate quoad suum esse; ita mutuus amor voluntatis in amicitia sufficit.

An idem velle & nolle in omnibus sint amicorum propria?

Opp.

De amicis veris verum hoc est, quòd unam mentẽ & voluntatem habeant; ergo idem velle & nolle amicorum propria vidẽtur esse. Pone, si placet, in volendo, & nolendo dissentire amicos, divortium proculdubio amicitiæ erit.

Resp.

Breviter respondeo, idem velle & nolle in actionibus virtutis, propria quidem esse amicorum: cæterùm inter amicos veros aliquãdo fieri potest dissensio de rebus minùs necessarijs, immo aliquando etiam de suspectis moribus, si detur occasio; at levis, & brevis debet esse

esse omnis inter amicos altercatio: nam gravis & longa relinquit vulnus, cuius cicatrix melle amicitiæ vix unquam sanari potest.

An amicus pro omni scelere commisso sit deserendus?

Opp.

Vera amicitia nulla est cum improbo: sed scelere cõmisso amicus fit improbus: ergo pro scelere commisso est deserendus.

Resp.

Amicitia vera dissolvenda est pro scelere commisso, si amicus sponte & ex malitia offenderit: at si infirmus aut incautus in cõmittẽdo fuerit, & in commisso non pertinax, sanato quasi vulnere manere debet amicitia; sic vir bonus, fidelis medicus & amicus erit. Nã ut bonus medicus infirmum vulnere accepto non deserit, sed curato vulnere eundem ad sanitatem restituit: ita amicus verus pœnitentem amicum non debet relinquere, sed, quantum in se est, eundem consolari. Scelus causa dissolvẽdæ amicitiæ, si pertinaciter cõmittatur.

Cap. 12. 13. & 14.

De amicitiâ inter consanguineos, & de amicitiâ erga se?

CAmpus spatiosus admodum disserendi datur, cum de amicitia, melliflua virtute agitur. Sequar igitur copiosum Aristotelem; & tamen flosculis collectis, eorumq; succis veluti expressis breviter concludam omnia. In his tribus iam sequẽtibus capitulis emergit duplex questio; una, an sit amicitia inter affines? altera,

probus seipsum diligat. Quòd sit amicitia inter affines & consanguineos, hinc constat, quia õnibus animantium generibus id à naturâ insitũ est, ut miro quodam amore afficiantur in suos. Quippe nec ferox leæna, nec tigris Indica (quãtumvis truculenta fera) hoc affectu caret; nedum homo, qui naturæ communi rationem coniunctam habet. Cæterùm intelligendum est quòd hęc amicitia sit naturalis, non moralis illa: dispar, non æqualis, de quâ antea egimus. Si definire velis hanc amicitiam, nihil aliud est quàm humanæ naturæ affectus, quo, sanguine inter se coniuncti seinvicem vehementer amant. Nam ut vi quadam occultâ ipsius naturę in ipso utero formantur partes et membra corporis, quo omnia inter se benigna & amica esse videantur: ita transfusa hæc vis naturæ est in sanguine coniunctos, ut maiore se invicem amore prosequantur, quàm alii; nisi ut monstra ab ordine motuq; naturæ ipsi penitus defecerint: hinc illud: *Odium Dei & hominũ est, qui suum sanguinem, id est, sanguine coniunctos oderit*. Nam monstrum est pater, si suum filium; monstrum est filius, si suum patrem oderit. Hos enim amorẽ non odium, amicitiam non discordiam ipsa natura docuit. O Nero, ô vipera, ô monstrum naturæ, cur matrem, nutricem iugulas? exclamarem potiùs: ô tempora, in quibus multi Nerones, viperæ, & mõstra vivunt, qui magis sanguine suorum parentum & consanguineorum, quàm dulcissimo Deorum nectare delectantur. Sed progredior; moventur

Amicitia affinium, an naturalis sit, et quid sit.

tur in textu dubia: primum est, cur pater magis filium quàm filius patrem diligit; resolvit hoc verbo Aristoteles, quia pater filium ut artifex suum opus diligit: *Est* enim *filius imago, spes, opus & amor patris*. Alterum dubium est an benevolentia sit amicitia: respondet propriè quidem non esse, quia benevolentia est communior ipsâ amicitiâ, nã benevoli sæpe sumus in eos quos nunquam vidimus; at nisi intercesserint necessitudo, familiaritas, et consuetudo vitæ, amici nõ sumus. Requiritur enim ad veram amicitiam, ut cum amico aliquos modios salis devores. Postremum huius capitis dubium est, an concordia sit amicitia; respondet affinem et cognatam affectionẽ esse, non tamen reipsa penitus eandem. Latiùs enim patet, ut exemplis apertè in textu docet. Sequentium duorum capitum hæc summa est, quòd vir probus seipsum ut verus amicus diligat: facta distinctione res aperta erit. Amans ergo sui dicitur duobus modis: vel qui privatam impensiùs expetit utilitatem, aut voluptatem, quarum causa omnia agit; & sic probus nequaquam est amans sui, sed potiùs improbus: vel qui virtutis solius causa omnia agit, bonaq; solida moris et mẽtis comparat; & sic verè amãs sui, vel amicus sibi vir prob⁹ & honestus dicitur: immò ut in decimoquarto capite (quod est ultimum istorum trium quæ nunc simul tractantur à nobis) docet philosophus, his bonis moris mẽtisq; tãquam veris divitiis accumulatis vir probus maximè omnium seipsum diligit. Nam quã-

Filius describitur.

Concordia an amicitia.

Maximè amare seipsum viro probo licet.

vis(si bona naturæ & fortunæ respicias) magis amicum quàm seipsum amat: in bonis tamen animi(in quibus vera amicitia consistit) seipsum multò magis quàm amicum amore amplectitur. Avarus enim est istorum bonorum vir probus, et avidè in gazâ suiipsius animi illa reponit: sed iã

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Quippe longè maior & numerosior est hominum turba, qui vehementi affectu ad bona utilia & iucunda feruntur, suosq; amicos et seipsos magis illorum causa diligunt, quàm qui per se honesta quærunt, & illorum gratia seipsos sibi vel aliis verè amicos reddunt. Durum est si dicam id quod Aristoteles dicit, *homines esse proditores non amantes sui, hostes capitales, non fideles amicos sibi, si relictis bonis animi, utilitatē & voluptatem, duo illa maxima mundi idola, exosculentur*: & tamen somniant se esse amantes sui. Dulcis fortasse hic est ad tempus amor; at revera odiũ est, & lethale venenum habet.

Vtrùm pater magis filium quàm filius patrem diligat?

Opp.

Vniuntur & accumulantur omnia naturæ beneficia in filio: ergo filius magis patrem, quàm pater filium naturæ vi diligeret. Antecedens probatur, quia filius est imago, spes, amor, & opus patris. Argumentum tenet; quia unita vis fortior est quàm dispersa amoris: At amor est unitus in filio; in patre verò est quasi movens & transiens ad filium. Præterea probabile est illum magis diligere, qui plura benefi-

cia

cia accipit: at filius plura beneficia quàm pater accipit: ergo filius patrem magis quàm pater filium diligit.

Resp.

Pater diligit ut principium filij et amoris sui: filius autem est quasi reflexa patris imago. Sed ut imago umbra est respectu rei cuius est: ita amor filij umbra est respectu amoris qui à patre fluit. Quare etsi unitus est paternus amor in filio, õniaq; beneficia amoris paterni in illum accumulata, reflexus tamen debilior est: quia actio magis in principio agendi quàm in subiecto patiendi cernitur: est autem pater amãdi principium, filius patiendi subiectum. Amat enim pater, amatur filius; amatus etiã redamat: sed amans pater amatur debiliùs, ut agens agendo repatitur, sed minorem vim sentit. Ad alteram partem argumenti dico, quòd filius acceptis pluribus beneficijs teneatur plus moraliter amare patrem, non naturaliter. De quo genere amoris solùm in comparatione hoc loco agitur.

Pater cur magis filiũ diligit.

Vtrùm filius sit magis opus patris quàm matris?

Opp.

Filius est magis opus matris quàm patris: Ergo fallitur hìc Aristoteles qui cõtrarium docet. Antecedens constat, quia in utero matris ipsâ substantiâ maternâ fingitur, nutritur, confirmatur: imò nec sic in matre desistit natura, sed manibus illius partes et mẽbra format infantis, mammillis pascit, lacte hoc suũ opus perficit. Magis ergo opus matris quã patris videtur fil⁹ esse. Praeterea pater est remota causa, proxima

tem mater. Plus denique filius matrem quàm patrem ob hanc solùm causam diligit: quia materiam & formam proximè à matre sumpsit.

Resp.

Filii duplex causa.

Duplex est causa filij; formalis, & materialis, (ut aiunt:) formalis, pater est; materialis, mater: at à formali causa agente, nomen & esse res quævis habet: Ergo filius qui formam à patre habet, magis patris opus, quàm opus matris dicitur. Dico tamen filium efformari, nutriri, & corroborari in utero matris: sed ita, ut opus in officina artificis, & ut artifex dat formam operi suo, ita pater dat formam filio; unde opus nomē et essentiam habet. Præterea, pater non est remota causa, si operis perfectionem spectes: manet enim activa potentia & efformatrix, donec opus perficiatur naturæ. Postremò, falsam matris amandæ causam ascribis filio: quippe non formam à matre sumit, sed materiam. Plus tamen plerumque, ut ais, diligit matrem quàm patrem: quia diutiùs sub illius quasi tecto & claustro nō natus habitat; & quoniam iam natus maiorem vim et influentiam materni quàm paterni amoris percipit; utpote qui semper ab uberibus, ulnis & amplexibus maternis pendet: quique illius dulcisonas voces, lachrymas, variosque affectus, scintillas amoris veri pro se infante cernit.

Filius cur magis suam matrem diligit.

An benevolentia & concordia sint species amicitiæ?

Opp.

Benevoli & concordes dicendi sunt magis amici, quàm qui utilitatis, aut voluptatis causa dicūtur: ergo à coniugatis, & etiam à minore ad maius sequitur, quòd

quòd benevolentia & concordia sunt magis species amicitiæ, quàm utiles & iucundæ amicitiæ, quas antea species esse confirmavit Aristoteles. Antecedens probatur; quia benevoli & concordes dicuntur, qui unâ quasi mente, unoq; corde inter se conspirant.

Resp.

Benevolus est qui bene vult alteri; concors qui animo & voluntate consentit alteri. Uterq; amicus esse potest, sed non propriè; utraq; affectio amicitia esse potest; sed non si strictè sumatur nomen amicitiæ: quippe hæc duo nomina latiùs patent, & generis locum sæpissimè tenent in definitione amicitiæ. Est enim benevolentia benigna affectio animi, cuius vi commoti sumus ad bene optandum alijs, nō solùm propter interna, sed etiam propter externa bona, eademq; vel illis propria, vel nobis communicata. Concordia verò definitur facilis affectio animi, quâ plures in consultatione aut electione rerum ad unanimem consensum permoventur. Sic, ut vides, tam benevolentia quàm concordia latiùs se fundunt quàm amicitia; quia illa in omni genere bonorum sunt, hæc autem per se in animi bonis solùm versatur.

Benevolentia & concordia quid.

Vtrùm amicitia fraterna sit firmior quàm quæ inter alios contrahitur?

Opp.

Natura multū addit roboris fraternæ amicitiæ, quo amicitia inter alios contracta caret: Ergo amicitia fraterna est firmior. Antecedens probatur; quia omne tale additum tali facit illud ipsum magis tale.

 Resp.

Resp.

Natura nihil roboris addit amicitiæ, ut fiat firmior; sed aliquid dignitatis, ut fiat ornatior. Interna enim bona animi, in quibus solùm consistit vera amicitia, robur, constantiam, & firmitatem habent; bona verò naturæ & fortunæ solùm dignitatem et ornamentũ amicitiæ induunt. Per se ergo non est firmior fratrum quàm aliorum amicitia.

Vtrùm magis amicus seipsum quàm amicum diligat?

Opp.

Ad amicitiam veram Aristoteles requirit æqualitatem amoris: ergo amicus non magis seipsum quã amicum diligit. Præterea, amicus est alter ego: ergo seipsum & amicum æqualiter amat. Postremò, amicus idem velle, idemq; nolle debet: ergo non magis seipsum quàm amicum diligeret.

Resp.

Aristoteles resolvit hoc argumentum distinguendo; nimirum, quòd amicus magis seipsum quàm amicum diligat in bonis animi, magis autem amicum quã seipsum diligat in bonis corporis & fortunæ, quæ libentiùs amico cedit. Cum dicis requiri æqualitatem ad veram amicitiã, respondeo æqualitatem proportionis non ponderis intelligi debere. Satis enim est in verâ amicitiâ, si unanimis amicorũ consensus in virtute cõstet; quæ virtus mediũ ad iustitiam, non medium ad pondus & centrum æqualitatis dicitur.

An maximè vir probus seipsum diligat?

Opp.

Opp.

Virtutis est in alios fluere & manare, & nō manere in seipsâ, iuxta illud, bonum quo communius eo melius: ergo viri probi non est amorem maximum in suo ipsius pectore quasi sepelire, sed magis amico suo eundem communicare. Præterea dilectio est transiens actio amantis in amatum, non immanens: ergo nemo seipsum verè diligit; & ex consequenti, vir probus seipsum maximè non diligit. Nam si diligeret, idem esset agens & patiens, eidemq; actio & passio, nempe dilectio & diligi inessent simul.

Resp.

Virtus in alios fluit, si existentiam; & in seipsum refluit, si mentem & essentiam spectes. Bonū ergo quo communius est, eò melius; quoad existentiam, nō quoad essentiam boni: nam sic bono nil melius. Quod urges dilectionem esse transeuntem actionem; respondeo id verum esse respectu obiecti externi in quod transit; non respectu principij interni à quo fluit, & in quod refluit aliquando. Sic cum vir probus (qui est principium suarum actionum (maximè seipsum diligit, dilectio hæc non transit in alium, sed unita in se est, manetq; firma in voluntate amantis, nisi ab hâc in mentem illam transire dixeris. Ad postremam partem argumenti dico, quod actio & passio non sunt simul in eodem subiecto. Nam dilectio in unâ parte animi est ut in principio, in alterâ verò ut in subiecto: & sic diverso respectu actio & passio simul idem inesse possunt.

Cap. XV. & XVI

De beato, an egeat amicis? &, an expediat multos habere amicos?

ALiam de amicitia hoc loco dubitationem movet philosophus, nẽpe, an is qui sibi satis est, & ex se sufficiens(id est) an beatus indigeat amicitia? Videtur, inquit, non egere. Nã Deus solum per se sibi satis est, & abundè ex se sufficiens: at Deus non eget amicitia: ergo qui sibi satis est, & ex se sufficiens, nõ eget amicitia. Cæterùm postquàm multa de divina perfectione & contemplatione dixerit philosophus, trãsit ad considerationem humanæ naturę: de qua, ut inquit, hîc solùm habetur sermo & disceptatio. Quæritur enim an homo omni genere bonorum abundans, sibiq; sufficiens amicis egeat. Respondet quidem egere: tres rationes in textu addit. Prima est, quòd bona in hac vita nihil secum apportant solatii, nihil dignitatis, si desint amici, quibus illa communicemus. Altera est, quòd vita humana nulla est societatis expers; & proinde vita perfecta carere non potest optima societate, nempe amicitiâ. Postrema est, quòd nemo ex se sufficiens vitam ageret solitariã, sed eminentem, qua alios ad virtutem traheret: exemplo enim maximè ad virtutem vitamq; honestam allectãtur. Addit philosophus aliam rationem(mea quidem opinione) istis non minùs validam; nimirum, ideo beatum egere amicitia, quia

Deus non eget amicis.

Fœlix amicis eget.

quia meliùs ſeipsũ in amico cognoſcat, quàm ſi ſecum in tenebris, & eremis privatã vitam tranſigeret. Vt enim oculos in ſpeculum nobis obiectum defigimus, cum velimus facies & formas intueri noſtras, quas in nobiſmet ſine ſpeculi reflexu non poſſumus contemplari: ita certè nemo (tametſi ſit ſapiens, tametſi beatus) poteſt quidem ſeipſum moresq; ſuos meliùs cognoſcere, quàm ſi defixis in amicum oculis attẽtiùs cõſideret, in quo ſeipſum longè meliùs quàm in ſeipſo videat. Eſt enim neſcio quæ naturalis dilectio erga noſmetipſos, quæ plerunque cæca eſt, & ſæpè nos in iudicando de nobiſmetipſis fallit. *Opus ergo eſt ſpeculis, opus amicis, qui navos & nenias nobis demonſtrent noſtras.* Age ergo, omnibus abundas bonis? eo multo magis opus habes amicis, ne ab alta fortunę tuæ ſede cadas, ne tibi miſerè & ſolitariè vivas, ne à natura ſociabili deficias, ne deniq; teipſum minus rectè & accuratè cognoſcas: cognoſcere autem oportet ſi ſis ſapiens, ſi ſis beatus. Nemo enim perfectè ſapiens, nemo beatus qui ſeipſum neſcit: at neſcit ſi amicis eget. Dubium, quod in proximo movetur capite (utrùm expediat habere multos amicos) breviſsimè ab Ariſtotele diſtinctione facta explicatur. Si enim verã amicitiam in bonis animi poſitam conſideres, unus amicus ſufficit, unus, inquam, ſi unum poſsis capere. Si verò utilem et iucundam amicitiam cõſideres, plures habere licet, ſed non multos. Nam ut acies externorum ſenſuum hebeſcit, ſi in multa obie-

Pauci amici ſufficiũt, quia multi non ſunt.

cta ſine intermiſſione ferantur diutiùs, propter imbecillitatem naturæ: ita langueſcit amicitia, ſi ſe in multos amicos fundat. *Quippe omnia humana naturâ ſuâ finita ſunt in hâc vita, ſuamq; infirmitatem & occaſum habent.* Præterea multitudo amicorum cauſa ſæpiſſimè magni doloris eſt. Nam cum ſint cõplures, ferè ſemper alicui eorũ aliquid accidet adverſi & infortunii; quod ubi acciderit, reliquos amici caſum indolere neceſſe erit. Sic ſẽper in turba amicorũ, aliqua occaſio emerget mali, aliqua mœroris cauſa. Poſtremò concludit philoſophus, quòd ut nõ multos, ita non valdè paucos expediat habere amicos. Nam unus, inquit, aut duo in anguſtiis rerũ fortaſſe non ſufficient. Sed quid de numero amicorũ nunc agimus? Nam vix unũ, vix unũ dixi? imò non unum in rerũ naturâ amicum reperias. Phœnix eſt, ſi ſit: fœlix es, ſi amicũ Phœnicem habeas; ſi verò habeas, tene, & plures ne quæras. *Nam ſatis eſt habere unum, quia fœlix eſt qui habet unum.*

Vtrùm omnibus bonis affluens amicis egeat?

Opp.

Ultra ſtatum perfectionis non eſt motus ad ulterius aut excellentius bonum: ſed omnibus bonis affluens eſt in ſtatu perfectionis: ergo in illo non eſt motus ad ulterius & excellentius bonum; & proinde talis non eget amicis. Nam hoc ipſum Egere arguit omnibus bonis non abundare.

Reſp

Resp.

Sapienter notat philosophus in hâc vita non esse statum sine motu, non esse perfectionem sine declinatione aliqua. *Cum verò dicat fœlicem affluere & abundare omnibus bonis, intelligit quoad natura humana est bonorum capax, quæ respectu virtutum (quibus maximè abundat fœlix) in statu perfectionis humanæ dicitur. Caterùm si hæc ipsa bona communicanda consideres, si infinitos scopulos & pericula quibus obnoxij sumus, haud negabis ipsũ fœlicẽ egere amicis: neq; hoc ipsum Egere, imperfectionem aut defectionem bonorum internorum arguit, sed rerum externarum usum & solatium in usu cum ipsis amicis docet. Egere ergo dicitur fœlix amicis, non quòd egeat bonis, quibus maximè abundat, sed ut illa bona ex voto alijs communicet, et in illis seipsum consoletur. Alij respondent huic argumento fœlicem activum egere amicis, non contemplativum, qui solâ contemplatione primarum causarum, atq; virtutum contentus, et veluti in se contractus vivit.*

Res nulla humana constans & perpetua.

Fœlix cur egere amicis dicitur.

Vtrùm meliùs teipsum ex amico quàm ex teipso discas cognoscere?

Opp.

Nemo meliùs te novit, quàm tu teipsum; nemo rectiùs de occultis animi latebris affectibusq; indicat; nemo erga te maiorem fidem aut conscientiam habet, ut magis alteri quàm tibimetipsi credas: Meliùs ergo teipsum ex teipso quàm ex amico discas cognoscere, & indicare.

Resp.

Amicus est amico quasi fidele speculum, à quo reper-

Homo rarò de seipso verè iudicat.

percussæ imagines morum amici oculis graphicè obijciuntur. Dico tamen certiùs teipso neminem teipsum cognoscere, si sincerus sit affectus, si mens sit oculata, si omnes facultates animi sint probè affectæ. At quoniam in hoc mortali & caduco vitæ circulo cæci plerumque erga nosmetipsos sumus, nostrosq; nævos aut velo tegimus, aut non videmus, Aristoteles amicum fidelem quasi lyncem requirit, qui oculatiùs inspiciat, cognoscat, & discernat, quam nos in nosmetipsos affecti possumus. At si sit Phœnix aliquis, qui depositis corporis exuvijs in se à sui ipsius nimio amore redeat, talem admittit posse de seipso rectiùs iudicare.

An expediat multos habere amicos?

Opp.

Quo bonum communius, eo meliùs: ergo plures habere amicos melius est quàm habere paucos. Antecedens constat; quia habere amicos est excellens bonum.

Resp.

Vt fons in multos se effundens rivulos, debiliore tandem impetu, et motu fluit: ita humana amicitia divisa in plures, vim suam, robur, & influentiam perdit. Rationi igitur dico consentaneum esse illud axioma, quod adfers, in bonis solũ illis, quæ communicari possunt multis: at vera & perfecta amicitia cõmunicari non potest, cum sit ipsa unitas duorũ in simplicẽ contracta unitatem. Nam in verâ amicitiâ, quamvis sint amici duo, uterq; tamen dicitur unus idẽ, & alter ego.

Vnitas duorum est amicitia.

An senectus sit omnium ætatum aptissima amicitiæ?

Opp.

Senectus naturâ arida, & morosa est: ergo omnium

um ætatum non est aptissima amicitiæ. Antecedens est Aristotelis in Ethicis, & probatur ratione; quia hæc ætas quodammodo est ipsa melancholia, quæ spongia est ipsius naturæ, & planè perversus humor. Hinc illud: sunt senes avari, sunt senes morosi: avari, quia deficit natura; morosi, quia abundat melancholia.

Resp.

Non hîc humorem corporis, sed honorem mentis considerare oportet. Veneranda enim canities non est arida, non est morosa: imò non est, ut ais, ipsa melancholia, sed mutato nomine ipsa ætas sapientiæ. Ad argumentum igitur respondeo, senectutem præceptis philosophiæ formatam, vitaq; optima consuetudine decoratam esse aptissimam amicitiæ: quippe quæ experientiam rerum, constantiam actionum, moderationem affectuũ, totiusq; vitæ anchoram, & scopum virtutem, et sapientiam habet: hæc autem singula alia ætas nulla vendicare potest. Si urgeas hîc, modios salis devorari debere cum amante priusquàm amicũ facias, quod quidem cum sene unum iam habente veluti pedem in sepulchro fieri non potest; respondeo per modios salis, vires ingenij, consilij, experientiæ, aliarumq; virtutum intelligi, quæ in senectute magis quàm in aliâ ætate vigent, eminentq;. Si has inveneris, & cum sene easdẽ habente inieris amicitiam, modios salis devorasti, salemq; ingenij habes.

Veneranda senectus apta amicitiæ.

Modios salis cum amico devorare quid.

Vtrùm viro probo expediat utiles & iucundos plures uno habere amicos?

Opp.

Vtilitatis causâ amicus, bonorum helluo est: iucundus verò amicus, fomes malorum est, ut ante insinua-

vit

vit Aristoteles: ergo non expedit istiusmodi habere plures uno: imò ne unum quidem, cum unus plus satis viro probo noceat.

Resp.

Lege philosophum in fine huius capitis, & intelliges sub nomine amicorum familiares intelligi. Quasi diceret; si vis beatus esse, multos ne eligas familiares. Nam ut nimia familiaritas parit contemptum; ita multitudo istiusmodi amicorum comitem dolorem habet: præsertim si quid contigerit infortunij aut miseriæ illis, quos tibi familiaritate amicos feceris. Respondeo igitur te non dextrè & appositè interpretari Aristotelem. Nam quamvis fortasse hoc loco utiles & iucundos amicos intelligat, non tamen eo sensu utiles & iucundos accipit, quo tu hîc accipis. Vult enim tot ex illis probo viro asciscendos esse in amicitiam, quot usibus viri honesti rectè iusteq; inservire possunt, ut verba ipsius textus manifestè docent.

Cap. XVII.

De usu amici, et amicitiæ.

DIgna philosopho habenda est hæc disceptatio de moribus, quæ incipit à virtute, & in dulcissimam virtutis musam, amicitiam desinit. Ambagibus omnino non utar. Multa de amicitia, multa de amicis dixit philosophus. Nũc ergo concludit opus; sed ita concludit, ut ultimum Vale in amici & amicitiæ usu ponat. Docet enim quomodo utẽdum sit amico, quomodo vivendum cum illo. Res quidem hæc necessaria

ſaria eſt. Nam ut fruſtra acquiritur theſaurus, ſi eiuſdem uſum penitus ignores: ita ignoto amicitiæ uſu vaniſſimè amicus comparatur. Verum cum multa ſint amicorum genera, ut alii naturales, alii civiles, alii iterum pares, alii impares dicantur, & his deniq; alii utiles, alii delectabiles, alii honeſti, quærendum fortaſſe eſt, quodnam amicorum genus præcipuè hoc loco intelligat philoſophus. Reſpondeo verbo, inſinuare potiſſimũ amicos illos, qui utilitati, & voluptati, virtutem, animiq; bona præferunt, & anteponunt. Cæterum non nego quin in quibuſdã legibus, & conditionibus tradendis alia etiam amicorum genera intelligat; ut cum dicit licere amico ſuum amicum vehementius increpare; imo eciam corrigere & caſtigare ſi opus fuerit, hic amicos impares: iterum cum dicit neceſſariũ eſſe ut amici fide, amore, et beneficiis inter ſe æqaalitèr concertent, procul dubio amicos pares & æquales iutelligit. Maximè autem vſum veriſsimæ amicitiæ artemq; vivendi cũ veriſsimis amicis tradit. Quid multis? prima lex eſt ut hęc amicitia ſit veluti duorum in vnũ metamorphoſis ſeu converſio: Secunda ut ſit firmiſsima amicorũ in virtutibus moris & mẽtis cõſenſio. Tertia ut ſit ſtudiorũ & affectuũ maxima ſimilitudo. Quarta ut ſit rerũ & fortunarũ ęqualis nõ ad põdus, ſed ad iuſtitiam proportio: Quinta ut ſit diuturna cõſuetudo vitę: Sexta ut ſit perpetua ſine ulla diſsimulatione propter virtutem dilectio: Poſtrema ut finis ſeu ſcopus omniũ actionũ ſit

Leges 7. amicitiæ. 1 2 3 4 5 6 7

vera beatitudo. Ad hunc enim finem seu scopũ boni viri tendunt. *At amici boni sunt, aut amici nulli sunt*. Quippe vera amicitia, de qua nunc agitur, solummodò inter viros bonos & studiosos virtutis regnat. Quid? an tanta sympathia tantaq; animorum consensio inter amicos (Turtures et gemellos naturæ) est, ut nulla inter illos contentio, nulla dissensio fiat? illud quidem nō dico (scio etenī amicos in hac vita mortales esse, non deos, posseq; inter se diffidere) sed hoc affirmo quòd sicut in musicâ vox discors; ita in amicitiâ contentio levis esse potest: & iterum, ut in musica vox dissona non tollit harmoniam, ita in amicitia, levis amicorum dissensio non extinguit, aut dirimit concordiam. Si ergo unquã occasio detur, amici est admonere amicũ; si verò hoc non sufficit, obiurgare licet: si adhuc non emendetur vita, licebit intonare, minisq agere: at si tum etiam malè agendo pergat, licebit dissoluere amicitiam: ita tamen licebit dissoluere, ut capitalis illi non fias hostis, quem olim nō minùs qua teipsum dilexeris. Character ergo maneat in te amoris, quãtũvis imago deleatur amicitiæ. *Nam extincta virtute fidelis amititia evanescit, at manente natura amor non desinit. Amicitia enim virtutis est filia, amor naturæ servus.* Quem ergo olim unicè amasti, ne demũ oderis. Quippe dum vivit amicus, spes est, ut ad se rediens te fidelem amicum agnoscat suum.

Amicitiæ vis nunquã penitus deleri debet.

An solum inter pares amicos sit licita increpatio?

Opp.

Opp.

Licet civi viciosum increpare magistratũ, uxori licet sceleratũ increpare virũ: imò filio atq́ servo patrẽ & dominũ flagitij accusare licet: ergo increpatio in impari amicitia est licita. Nã inter hos omnes hoc loco impar amicitia dicitur. Antece. cõstat ex õnibus ferè tẽporũ historijs, in quibus audire licet multos Nathanes, multos Elyas audactèr increpãtes et accusantes reges. Præterea secũdũ Arist. in Politicis, magistratus et patres accusandi sunt, si violent leges, si prodant patriã. Maior. n. civiũ & filiorũ amor esse debet in patriam, quàm in viciosum magistratũ, aut patrẽ, si quid sceleris in rempublicam machinentur. Lib. 5. Pol. cth. 8.

Resp.

Cũ Arist. hoc loco docet esse licitũ superioribus in impari amicitiâ suos inferiores increpare, inferioribus autẽ nõ esse licitũ accusare potiores, intelligit solũ hoc verũ esse secundũ leges humanæ amicitiæ. At si superiores, non solùm leges amititiæ, sed etiam leges patriæ & iustitiæ violent, dissoluta iã amicitia: inferioribus etiã suos superiores suorũ scelerũ admonere licet, sed iustè, prudentèr, consideratè. Nã licentiã subditis & inferioribus cõcedere, accusandi meliores, est fenestram aperire ad magnam tum audaciam tum perniciem sceleratis, qui levissimas occasiones accusandi & increpandi sument.

Raro audiendi sunt inferiores gradu aut ordine cõtra superiores.

Opp.

Vxor par et æqualis amica est viro. Ergo illi maximè licebit virũ increpare. Antece. cõstat; quia in Politicis et Oeconomicis uxor individua socia, nõ serva, comes,

 non

nõ hospes viri dicitur. Cõcludo igitur hîc in textu plurimùm falli Aristotelem, tum quia uxorem inæqualẽ suo viro amicam nominat, tum quia libertatem obiurgandi illi non concedit.

Resp.

Assentaris quidem nunc fœminis, quas forsan non audes offendere. Sed te non accuso, qui munus opponẽtis iam subis, qui plerunq; fuco rationis fallaces & falsas conclusiones texis. Respondeo igitur uxorẽ esse parem & imparem suo viro; parem, si debitum amorem; imparẽ, si viri naturale imperiũ spectes. Quare etsi socia vitæ non serva à Philosopho in Politicis vocatur, impar tamen & subiecta est imperio viri. Ut idem philosophus postmodùm exponit. Concludo igitur non falli Aristotelem, neq; in hoc, quòd imparem appellet, neq; in illo, quòd obiurgandi libertatem non dederit. Nam si dedisset fomentum in lingua muliebri, flammam inextinguibilem, & magnum incendium excitaret. *Si sapias ergo utere imperio tuo, uxoris faucibus frænum iniicias. Quod si nõ feceris verborum fulmina haud mendicabis nec non cum Socrate solâ patientiâ vinces.*

Lingua mulieris irarũ flamma.

Vtrùm amicitiâ deletâ ullus, amor personæ manere debeat?

Opp.

Causæ dissolvendæ amicitiæ iustum merentur odium: ergo dissolutâ amicitiâ, nullius personæ amor manere debet. Antecedens probatur; quia causæ dissuendæ amicitiæ sunt scelera & flagitia amici dissimulantis. Ratio tenet, quia vix probus est, qui sceleratos & flagitiosos amat.

Resp.

Resp.

Causæ divellendæ amicitiæ merentur certè odium, quia peccata sunt, sed non odium personæ. Nam aliud est odisse culpam, aliud est odisse personam. Age ergo scelere commisso, exuitur amicitia, non tamẽ malitia amicitiâ deletâ induitur. Vt ergo medicus putridum abscindit membrum, & tamen sanat hominem; ita amicus deserit dissimulantem hostem, non tamen odit virum. Deserit hostem, quia flagitiosus fuit: non odit virum, quia fieri potest ut amore et amicitia victus fidelem & firmam amicitiam colat.

Aliud est personam aliud culpam odisse.

An morte dissolvatur vera amicitia?

Opp.

Omnis affectus humanus morte dissolvitur; sed vera amicitia est affectus humanus: ergo vera amicitia morte dissoluitur. Maior constat; quia affectus est motus ipsius appetitus, qui unà cum corpore humano concidit. Minor est Aristotelis in his libris, & etiã in ethicis ubi amicitiam affectum nominat. Prætereà si amicitia virtus concedatur esse, morte tamen extinguitur; quia non virtus mẽtis, sed moris definitur esse. Quippe circa bonum, quod est obiectum voluntatis; non circa verum, quod est obiectum mentis versatur amicitia.

Resp.

Amicitia consideratur duobus modis, vel ut est quidã motus animi ad consensum virtutis; & sic unâ cum vitâ humanâ transit; vel ut est ipsa virtus & sic superstes fit. Nam etsi moriente homine actus amicitiæ desinit: essentia tamen longè excellentior & divinior superest, quàm antea fuit. Si urgeas ma-

nere non posse, quia illius subiectum tollitur. Respondeo, subiectum non tolli. Est enim voluntas, voluntas, inquam non illa quæ nobis cum belluis est communis sensitiva, ut aiunt, sed intellectiva, quæ suâ ipsius naturâ immortalis est, semperq; manet. Quid ergo vis ut amici seinvicem post mortem diligant? vis ut se mutuò cognoscant & admirentur? Non te referam ad Aristotelem de cura defunctorum differentem; nec ad Africanum illum maiorem, qui de cælo cum suo nepote amicè disputat. Sed si domesticum exemplum inspectare velis, refero te ad sidus illud fœlicis memoriæ Philippum Sidnæū, qui in Arcadia sua nobili ingenij monumento de hac re acutissimè disseruit. Hoc solum iam ut Philosophus addo, nullum animi bonum corporis morte tolli, aut in sepulchro contegi, sed excellentius diviniusq; factum in animo post mortem relucere magis, primæq; causæ clarissimo fonti et speculo bonorū omniū propiùs adiungi. Vnde concludo quod sicut in speculo per reflexum à tergo cernuntur multa; ita post mortem nobis primam causam intuentibus veluti per reflexum apparere possunt infinita. Ratio est, quia infinita causa causarum & rerum motor est quem intuebimur. Sed plura de hâc re disces, si illum (quem honoris causa modo nominavi) attētè & diligenter legas, qui (ut à viris amicis fideque dignis accepi) de re nulla moriens magis solicitè, magisq; sapiētèr disputavit, quàm de immortalitate animi, & de ratione, qua post mortem sororem suam Comitiss. Pēbroch. pulcherrimā virtutū, & honorū gemmam, aliosq; amicos hîc relictos cognosceret.

Cicero de somnio Scipionis.

Arcad. lib. 5. de Pyro- & Musidoro.

Philippi Sydnæi laus.

Peroratio

Peroratio Operis, ad lectorem.

AMice et perhumane lector, quoniam tibi tuisq; musis omnia devovi senectutis meæ studia, benignè quæso hoc pignus à me dextrâ nunc manu tibi porrectũ accipe. Opus quidẽ nõ magnũ est; at nõ indignũ favore tuo. Quippe in eo, ut vides, nõ colores Iridis, sed imagines virtutis per reflexũ a speculo tibi obijciuntur. Imagines virtutis dico, non ideæ, nõ umbræ, non falsæ, & vanæ rerũ tabellæ. Huc enim tẽdit omnis conatus, õnisq; in hoc opere labor meus, ut morales virtutũ imagines animo loquãtur tuo; loquãtur inquã; Nã certè vocẽ, ingeniũ, artẽ loquẽdi habẽt. Si viribus naturæ præstas, Fortitudo loquitur: loquitur tẽperantia, si voluptas titillet. Si te afflictet ãbitio, modestia loquitur: loquitur iustitia, si iniuria lædat. Quid multis? cælesti quasi igne inspiratæ omnes omniũ virtutũ imagines loquũtur. Si te unquã adversa fortuna, si te miseria vulneret, fortunatus es si illas loquentes audias. Nã meliora loquũtur hæc tibi, quàm Alexandri olim imago Cæsari loquuta fuit, quẽ tamẽ (ut ferunt historici) ad lachrymas non fictas provocavit. Sed nihil moror; cum his imaginibus, (studiose lector) meipsum geniumq; meum cõmendo tibi. Nam senex iam sũ, infirmus sũ, diuq; abesse non possum à sepulchro meo: quã diu tamen vivo, loquar tecum imò decurso vitæ stadio tamen, si placet, loquar tecũ, disputabo tecũ in scholis; opponam, respondebo. Quid ais? vis mecũ mortuo disputare? disputabis certe, si rudiora hæc mea scripta legas. Nam in illis utcunq; vivã, & ex illis, ut licet, tecum disputabo. Quid restat? Nihil certè, nisi te exorem, ut hoc opusculum grato animo à me datum, benevolo

nevolo à te acceptũ esse intelligã. Quod si intelligam, plura polliceor, quæ genius meus fidelis nuncius, a sepulchro (si ipse non vivã) offeret, & loquetur tibi. Spero equidẽ oracula philosophiæ, & ut decet, loquuturũ; at (perbenigne lector) si philosophus es, et illum aut incaute loquentem, aut invitè errantem animadverteris, humanitèr mone, corrige si placet. Nam homo sum & errare possum at in errore contumax, & perversus esse libentèr nolo. *Si vero discendi causâ, me legas; audeo hoc dicere, me decies cum interpretibus lectum Aristotelem tibi, tuisq; studijs non temere commendasse. Decies lectum ais? accuso te vanitatis, qui toties idolum philosophorum adorasti. Excuso meipsum; bis decem annos necessitate coactus professor Philosophiæ fui. Proposui tum quidem nec verbis meos (quos docui) auditores fallere; nec tibi, (quẽ amo Lector) umbram, & speciem solum philosophiæ nunc scripta commendare. Legere ergo sæpius Aristotelem eiusdemq; interpretes mihi religio, non superstitio fuit. Nam et ad legẽdũ bene, & ad scribẽdũ cautè me semper trahebat ratio movebat cõscientia. Vale (studiose Lector) et si vitæ meæ lucernæ oleum, christus lux vitæ concesserit, lucernam studiorum meorum extingui non sinam, donec plura tibi his datis meliora dederim. Interim iterũ Vale, meiq; quæso in tuis precib⁹, ad Deum fusis memor esto, (ingeminabo hoc verbum) memor esto.*

Vale 20. Septembris. Anno: 1596.

Quæstionum,

Quæstionum & Dubiorum quæ in his duobus *Magnorum Moralium libris tractantur aut solvuntur ordo, Numerus, & Locus.*

In libro Primo.

constet.

23 An subita invasio nullo bello indicto sit opus veræ for titudinis.

24 An stratagemata belli sint acta Fortitudinis.

Cap. 21.

25 An omnis voluptas sit obiectum Intemperantiæ.

26 An fugiens malum voluptatis propter metũ incurrendi in morbum, infamiam aut, paupertatem sit habendus Temperans, vel Intemperans.

27 An insensibilitas ad voluptatem cadere possit in humanam naturam,

Cap. 22.

28 An opposita Mansuetudinis sint vitia.

29 An vindictam sumens possit dici mansuetus.

Cap. 23.

30 An liberalis quis dicatur dum accipit.

31 An cupiditas Pecuniarum sit magis obiectum Avaritiæ, qàum ipsa Pecu[illegible].

32 An defectio in dando & excessus in accipiendo sint solùm species Avaritiæ.

Cap. 25.

33 An magnanimitas rectè definiatur.

34 An in magnifico sit virtutis opus honorem vendicare.

35 An magnanimi officium sit contumelias improborũ animo patienti ferre.

36 An cultus, incessus, sermo sint obiecta magnificentiæ.

Cap. 27.

37 An boni sit viri tristari cum mali aurâ secundâ navigant.

38 An invidia & malevolentia sint opposita indignationis.

39 An gravitas sit virtus moralis distincta ab Affabilitate.

40 An verecundia sit motus Naturæ.

41 An prꝗstet impudentem esse, quàm stupidum â naturâ.

Cap. 30.

42 An movere iocos & risus sit laudabile.

43 An ludi ſcenici & ſaltationes ad comitatis moderationem ſpectent.
44 An amicitia ſit hìc affectus vel habitus.
45 An liceat bono viro de virtutibus gloriari.
46 An mendacium ſine intentione fallendi ſit vitium.

Cap. 33.

47 An ſit aliqua naturalis iuſtitia.
48 An unquam iuſtitia ſit æqualitas ponderis.
49 An pati iniuriam ſit res voluntaria.
50 An Æquitas moderatrix iuſtitiæ ſit pars iuſtitiæ.
51 An ignoranter iuſtum agens ſit dicendus iuſtus.
52 An exiſtimans ſe hoſtem invadere patrem occiderit qui ſit indeq; iniuſtus.
53 An Homicida ſui ſit inde iniuſtus.
54 An iuſtum ſecundum naturam ſit melius iuſto ſecundum legem.
55 An ſciens falſam de re aliquâ iudicem tuliſſe ſententiam, iniuſtus ſit, ſi non exequatur.

Cap. 34.

56 An mens rectè in partem conſultratricem & contemplatricem dividatur.
57 An conſultatrix pars animæ ſolum circa ſingularia & ſenſibilia verſetur.
58 An coutemplatrix pars animæ ſolum circa univerſalia verſetur, recteq; dividatur in quinq; virtutes mentis.
59 An ſapientia ex ſcientia & intelligentia conſtet.
60 An opinio ſit virtus mentis.
61 An ſagacitas ſit virtus naturalis.
62 An optimus artifex per ſe prudens dicatur.
63 An prudentia omnibus virtutibus mentis imperet.
64 An omnia mentis obiecta ſint neceſſaria quæ aliter ſe habere non poſſunt.

In libro ſecundo.

Cap. I

1 An minuere vim iuſtitiæ ſit contra iuſtitiam.
2 An mente legiſlatoris incognitâ ſequenda ſint verba legis, rebus impoſitura formam.

3 An Defectio legis sit ex parte materię, quam lex tractat, vel ex parte actionum humanarum, quæ infinitis modis variari solent.

Cap. 3.

4 An cōsultatio & prudentia versentur circa eadē obiecta.
5 An Fortuita in consultationem cadant.
6 An vir iniustus verè unquam dicatur Prudens.
7 An viro iniusto cōnivendū sit ut suprà modum ditescat.
8 An Malo vel iniusto viro ulla fiat iniuria, cum bonis suis spoliatur.
9 An unius virtutis actio sit repugnans alteri.
10 An virtus ullo modo deteriores faciat.

Cap. 4.

11 An Ratio & appetitus cū actionibus cōtinētiæ pugnēt.
12 An Bona & Mala tertio gradu comparationis differāt.
13 An Feritas sit vitium exuperans humanā conditionē.
14 An in Deo sit virtus.

Cap. 6.

15 An melius sit nescire quàm definire incontinentiam.
16 An incontinentia realitèr dicatur esse.
17 An incontinens ullam scientiā mali habeat, & si habeat, Vtrum illa scientia sit vera scientia, an opinio.
18 An temperans non minorem vim & impetum cupiditatis sentiat, quàm continens.
19 An incontinens sit unquam laude dignus.
20 An scientia intenti mali depereat, cum incontinens sequitur affectum.
21 An lapsus incontinentis sit magis contra naturā, quam aliorum omnium vitiorum.
22 An error & scientia simul in incontinenti esse possint.
23 An usus rationis in actu voluptatis penitus tollatur.
24 An incontinentia homines tandem insanos faciat.
25 An Mollis & Delicatus sint iidem.
26 An incontinens facilius quam intemperans curetur.
27 An concupiscentiá vulneratus appetitus statim incontinentem rapiat ad prosequendum malum.
28 An motionibns incontinentiæ una complexio magis subiecta sit quàm altera.

29 An

29 An Temperantia sit melior Continentiâ.
30 An continentior sit, qui iram, quàm qui voluptatem reprimit.
31 An libido in Belluas effusa sit incontinentia.

Cap. 7.

32 An voluptas sit ens per se.
33 An voluptas definiri possit, & an benè definiatur.
34 An voluptas sit in omni ente.
35 An voluptas ulla sit per se eligenda.
36 An voluptas sensitiva magis ex defectu, quam usu boni percipiatur.
37 An melancholici sint deditissimi voluptati.
38 An voluptas sit generatio.
39 An voluptas sit bonum.
40 An voluptas sit impedimento actionibus virtutis.
41 An dolor sit simplicitèr & sempèr contrarius voluptati.
42 An sit voluptas in Deo.

Cap. 8.

43 An ignorantia sit causa fortunæ.
44 An fortuna repugnet divinæ providentiæ.
45 An fœlicitas quicquam commercii habeat cũ fortunâ.
46 An fortuna prospera magis sapientibus quàm stultis conveniat.
47 An omnes incertæ actiones naturæ dicantur fortuitæ.
48 An aliquis sit fortè fœlix.
49 An fatum, & fortuna simul constent in naturalibus eventis rerum.
50 An phanatici mirabilia loquentes id sorte agant.
51 An sit divinum quiddam in omni fortunâ.

Cap. 9.

52 An probitas sit omnium virtutum unio.
53 An aliquis præter fœlicẽ posit esse perfecte studiosus.
54 An recta ratio sit semper norma virtutis.
55 An inferior pars animæ sit naturalitèr subiecta superiori.
56 An ulla sit lex certa subiiciendi affectus rectæ rationis imperio.
57 An notione vel recta ratione aliquis fiat fœlix.

Cap. 11.

3 An Defectio legis sit ex parte materię, quam lex tractat, vel ex parte actionum humanarum, quæ infinitis modis variari solent.

Cap. 3.

4 An cõsultatio & prudentia versentur circa eadẽ obiecta.
5 *An* Fortuita in consultationem cadant.
6 *An* vir iniustus verè unquam dicatur Prudens.
7 *An* viro iniusto cõnivendũ sit ut suprà modum ditescat.
8 *An* Malo vel iniusto viro ulla fiat iniuria, cum bonis suis spoliatur.
9 *An* unius virtutis actio sit repugnans alteri.
10 *An* virtus ullo modo deteriores faciat.

Cap. 4.

11 *An* Ratio & appetitus cũ actionibus cõtinẽtiæ pugnẽt.
12 *An* Bona & Mala tertio gradu comparationis differãt.
13 *An* Feritas sit vitium exuperans humanã conditionẽ.
14 *An* in Deo sit virtus.

Cap. 6.

15 *An* melius sit nescire quàm definire incontinentiam.
16 *An* incontinentia realitèr dicatur esse.
17 *An* incontinens ullam scientiã mali habeat, & si habeat, Vtrum illa scientia sit vera scientia, an opinio.
18 *An* temperans non minorem vim & impetum cupiditatis sentiat, quàm continens.
19 *An* incontinens sit unquam laude dignus.
20 *An* scientia intenti mali depereat, cum incontinens sequitur affectum.
21 *An* lapsus incontinentis sit magis contra naturã, quam aliorum omnium vitiorum.
22 *An* error & scientia simul in incontinenti esse possint.
23 *An* usus rationis in actu voluptatis penitus tollatur.
24 *An* incontinentia homines tandem insanos faciat.
25 *An* Mollis & Delicatus sint iidem.
26 *An* incontinens facilius quam intemperans curetur.
27 *An* concupiscentiá vulneratus appetitus statim incontinentem rapiat ad prosequendum malum.
28 *An* motionibns incontinentiæ una complexio magis subiecta sit quàm altera.

29 An Temperantia sit melior Continentiâ.
30 An continentior sit, qui iram, quàm qui voluptatem reprimit.
31 An libido in Belluas effusa sit incontinentia.

Cap. 7.

32 An voluptas sit ens per se.
33 An voluptas definiri possit, & an benè definiatur.
34 An voluptas sit in omni ente.
35 An voluptas ulla sit per se eligenda.
36 An voluptas sensitiva magis ex defectu, quam usu boni percipiatur.
37 An melancholici sint deditissimi voluptati.
38 An voluptas sit generatio.
39 An voluptas sit bonum.
40 An voluptas sit impedimento actionibus virtutis.
41 An dolor sit simplicitèr & sempèr contrarius voluptati.
42 An sit voluptas in Deo.

Cap. 8.

43 An ignorantia sit causa fortunæ.
44 An fortuna repugnet divinæ providentiæ.
45 An fœlicitas quicquam commercii habeat cũ fortunâ.
46 An fortuna prospera magis sapientibus quàm stultis conveniat.
47 An omnes incertæ actiones naturæ dicantur fortuitæ.
48 An aliquis sit fortè fœlix.
49 An fatum, & fortuna simul constent in naturalibus eventis rerum.
50 An phanatici mirabilia loquentes id sorte agant.
51 An sit divinum quiddam in omni fortunâ.

Cap. 9.

52 An probitas sit omnium virtutum unio.
53 An aliquis præter fœlicẽ posfit esse perfecte studiosus.
54 An recta ratio sit semper norma virtutis.
55 An inferior pars animæ sit naturalitèr subiecta superiori.
56 An ulla sit lex certa subiiciendi affectus rectæ rationis imperio.
57 An notione vel recta ratione aliquis fiat fœlix.

Cap. 11.

58 An Amicitia sit necessaria in omni statu vitæ.
59 An naturalis aliqua amicitia, eademq; , inter similia vel dissimilia.
60 An nihil in hâc vita sit factu difficilius quàm amicum fieri. (citiæ.
61 An reciprocus amor in amatum sit propria causa ami-
62 An bonum amabile & amandum sit idem.
63 An ulla sit inter virum probum & improbum amicitia.
64 An amor Dei erga mortales dicatur amicitia.
65 An amicitia in utilem, iucundã, & honestam, ut genus in species dividatur.
66 An æqualitas personarũ, ꝓportio rerũ, similitudo morũ semper & necessariò ad verã amicitiã requirantur.
67 An amare sit melius quàm amari in verâ amicitiâ.
68 An deficientibus fortunis mutuus amor sufficiat in amicitiâ.
69 An idẽ velle & nolle in omnibus sint amicorũ propria.
70 An amicus pro omni scelere commisso sit deserẽdus.

Cap. 12.

71 An pater magis filium quàm filius patrem diligat.
72 An filius sit magis opus patris quàm matris.
73 An benevolentia & concordia sint species amicitiæ.
74 An amicitia fraterna sit firmior quàm quæ inter alios contrahitur.
75 An magis amicus seipsum quàm amicum diligat.
76 An maximè vir probus seipsum diligat.

Cap. 15.

77 An omnibus bonis affluens, amicis egeat. (noscere.
78 An melius teipsum ex amico, quã ex teipso discas cog-
79 An expediat multos habere amicos.
80 An senectus sit omnium ætatum aptissima amicitiæ.
81 An viro probo expediat utiles & iucundos plures uno habere amicos.

Cap. 17.

82 An solum inter pares amicos sit licita increpatio.
83 An amicitiâ deletâ ullus amor personę manere debeat
84 An morte dissolvatur vera amicitia.

Index:

Index Capitum rerumq; in eis contentarum.

In

In secundo libro.

Observa studiose lector quòd plura capita sint in hâc epitome coniuncta ut numeris notare licet, distinctè tamen tractantur subiecta singulorum.

FINIS.

ABCEDARIUM MORALIS PHLOSOPHIÆ JOHANNI PHETIPACIO RICHARDI PHETIPLACII filiolo: omnibusq; *Tyronibus virtutum studiosis, scriptum & commendatum.*

* * *



SOCRATES ut refert D. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei, primus omnium, universam Philosophiam ad corrigendos mores componendosq; flexisse memoratur. Illum sequutus est divinus Plato, quem Aristoteles suum Doctorem & Pręceptorem habuit. Horum primus oraculo sapiens, secundus nomine Divinus, tertius arte & ingenio omnium philosophorum Princeps dicebatur. Hunc (studiose Puer) tibi nunc commendo; huius solùm præcepta de moribus & vitâ honesta trado. Nō ero multus, non ero difficilis, paucis distinguam, definiam, & demonstrabo omnia. *Vale.*

Quid eſt Moralis Philoſophia?

Moralis Philoſophia eſt Ars practica benè vivendi. Vel eſt ſcientia omnium virtutum, vitiorum, & affectuum humanorum. Vel denique eſt Diſciplina, in quâ præceptis morum ſecundum leges virtutum traditis, & aſſignatis ad ſummũ bonum dirigimur.

Quot ſunt partes Moralis Philoſophiæ?

Quatuor: Ethica, Politica, Oeconomica, Monaſtica. Ethica definitur ut antea. Politica definitur ſcientia rectè adminiſtrandæ civitatis. Oeconomica definitur Ars benè gubernandæ Familiæ. Monaſtica diſciplina eſt inſtituendæ vitæ privatæ: De qua Ariſtoteles ad Endemum privatum ſuum amicum ſcripſit.

Quis vere dicendus eſt Moralis Philoſophus?

Qui ſtudioſus virtutis novit non ſolùm docere præcepta morum, ſed etiam ſe ipſum, familiam, & civitatem iuxta leges virtutis regere. Si morum præcepta ſpectes, Ethicus: ſi privatum ſtatũ, Monaſticus: ſi familiam, Oeconomicus: ſi civitatem, Politicus nominatur; generatim tamen reſpectu omnium Moralis Philoſophus.

Quodnam eſt verum obiectum Moralis Philoſophiæ?

Vita humana virtutibus morum inſtituenda. Hæc enim proprium obiectum dicitur; cõmune autem ſubiectum huius ſcientiæ bonum eſt.

Quid eſt Bonum?

Bonum communiter ſumptum eſt tranſcendens, & de-

definire non potest. Ens enim & bonum convertuntur. Notatur tamen à philosopho in Metaphysicis hoc modo. Bonum est ens, vel in propriâ suâ natura, vel in prima causa perfectum. Nam omne ens in se & in prima causa unum est & bonum; unum si essentiam; bonum si causam spectes.

Vnum ens bonũ quomodo idem quomodo diversum.

Estne hoc bonum subiectum Moralis Philosophiæ?

Non est: sed bonum humanum, quod definitur ens homini à naturâ suâ expetibile, quo per se aut per accidens adornatur. Expetibile enim id est, quod vim vel à se, uel aliunde perficiendi habet.

Quotuplex est hoc Bonum?

Duplex, insitum et acquisitum. Insitum bonum est quoq; duplex; vel potentia, sub quâ vires animi et corporis cõtinẽtur ut volũtas, memoria, appetitus in animo; ut visus, gustus, oderatus, cæteriq; sensus corporis: vel actus, ut robur, forma, pulchritudo, quæ omnia bona à natura dicuntur. Ratio est quia nõ nostra industria parta, sed vi naturæ data sunt. Cæterum animadvertendum hîc est, quòd quædam naturæ bona inter acquisita annumerentur, scilicet actus illi naturæ, qui materiam rei subiectæ, non qui formam sequuntur. Exempli causa, actus videndi, audiendi, gustandi simpliciter insunt à natura, nostraq; industria non acquiruntur; sequuntur enim potentiam activam (ut aiunt) ipsamq; formã subiecti; at sanitas, agilitas, aliaque istius modi, quæ etiam bona naturæ dicuntur, per exercitationem moderatã sæpe acquiruntur; quia sequuntur hæc quidem passivam potentiam (ut aiunt) & materiam subiecti. Hinc acquisitum bonum rectè dividitur

Quędam naturæ bona sunt formalia quæ non acquirũtur quædam materialia quæ acquirũtur.

dividitur in bonum naturæ, quale est sanitas, et in bonum fortunæ quale est imperium & in bonum animi, qua parte expetitur.

Estne alia divisio Boni?

Est enim aliud per se & vi sua ut bonum animi; aliud per accidens, ut bonum corporis, bonumq́ fortunæ. Bonum per se est vel virtus ipsa, vel actio virtutis vel virtutis finis, beatitudo. Bonum per accidens est, quod non propter se, sed propter bonum animi expetitur, definiturq́ virtutis ornamentũ. Quippe nõ ad esse aut essentiam, ut aiunt, sed ad bene esse & existentiam virtutis, bonum corporis & fortunæ requiritur. Húc adijciuntur quædam annexa boni, ut sit utile, quod plerumq́ bono fortunæ, delectabile, quod bono corporis, honestum quod bono animi ascribitur. Honestum autem hæc omnia complectitur. Nam id solùm utile & per se iucundum quod honestum dicitur.

Bonum per se triplex.

Esse & bene esse virtutis.

Bonum honestum utile iucundũ.

An bona corporis & fortunæ ad Moralem philosophiam spectant.

Plurimum certè: nempe ut adornent virtutem, virumq́ probum magis lucere faciant. Hæc enim bona sunt obiecta plerumq́ virtutum, circa quæ versantur; ut opes & honores, liberalitatis & magnificentiæ; ut vires corporis & voluptates fortitudinis & tẽperantiæ.

Bona fortunæ & corporis obiecta virtutis

Nonne malum tot modis dicitur?

Imò totidem modis dicitur, sed contrario sensu. Sic malum humanum, vel malum insitum, ut impotentia aut proclivitas ad vitium: vel acquisitum, idq́ corporis, ut morbus ocio aut vitio contractus:

Distinctio mali distinctioni boni respondet.

vel Fortunæ, ut carere amicis, vel animi, ut ipsum vitium. Huc etiam adduciuntur annexa mali, ut sit inutile, triste, turpe, quod bono utili, iucundo & honesto opponitur.

Bonum honestum quid est & quomodo dividitur?

Cicero li. 1. de orat.

Bonum honestum est ens animi, quod vi suâ hominem ad se allicit, suaq; dignitate ad se eligendum & diligendum trahit: vel si placet, bonum honestum est ens per se & vi suâ expetendum, quo homo ornatus, probus, & honestus dicitur. Hoc bonum dividitur in medium, quod est virtus, et in finem seu perfectionem virtutis, quæ est beatitudo.

Quid est virtus? et quæ eius prima divisio?

Cicero li. 1. de legibus & lib. 4. de finibus boni & mali.

Virtus est habitus animi electivus in mediocritate consistens, prout prudens agendi circūstantias præscripserit, sic Aristoteles. virtus est perfecta ratio eius quod à natura inest, vel rationis perfectio & absolutio, sic orator eandem definivit. Prima virtutis divisio est in virtutem moris, et virtutem mentis, illa in appetitu, hæc in intellectu quasi proprio subiecto inest.

Quæ sunt principia, quæ subiecta virtutum?

Principia & subiecta virtutis. Intellectus. Voluntas. Memoria.

Principia virtutum per se sunt tria, intellectus, voluntas, memoria. Intellectus est potentia animi rationis compotis, quæ ideas rerum à sensibus immissas percipit, et perceptas vi propriâ & naturâ suâ sine organo corporeo discutit. Voluntas est potentia animi quæ liberè res obiectas appetit & ratione rerum species perceptas, aut sequendas aut fugiendas eligit. Memoria est rerum, quæ sub intellectum & voluntatem cadunt, fidelis custos & thesaurus. Vel, est potentia animi,

animi, quæ formas ab intellectu & voluntate perceptas retinet, & retentas veluti speculum in easdem potentias cum opus est, reflectit. Hæc omnia sunt virtutum principia, ut cum propensione naturali & ratione recta coniunguntur; quia ratione vel deletâ vel malis affectibus depravata non, virtutum sed vitiorũ causæ dicuntur. Si appetitũ inter principia virtutũ ab Aristotele enumerari vrgeas: respondeo me illũ sub voluntate comprehendere, ut minus perfectũ sub perfectiore. Nam appetitus naturâ suâ est potentia animi rationis expers, compos tamen rationis redditur per participationem, cum mentis & voluntatis imperio obsequitur; & sic principium & subiectum virtutum definiri potest. Principium, ut ratione directus bonum desiderat; subiectum, ut bonum desideratum recipit, receptum continet. Eodem modo intellectus & voluntas, virtutum principia sunt, cùm activâ potentiâ in dispositione, & rectâ ratione in actione feruntur ad bonum; subiecta autem sunt, cùm in illis virtutes realitèr, ut aiunt, inhærent. Appetitus est sub voluntate.

Quot sunt principia Moralium actionum?

Tria. Potentia, Affectus, Habitus. Potentia definitur formalis & activa qualitas, qua reddimur apti ad agẽdum et resistendum contrario: hanc semper dispositio actioq; consequuntur. Affectus est motus animi naturalis, seu passio, qua ad agendum potentiùs incitamur. Habitus est qualitas multis dispositionibus acquisita, quæ facilè deleri non potest. Potentiæ igniculi virtutum aut vitiorum, affectus stimuli, habitus quasi termini & periodi actionum dicuntur. Nam potentia remota causa agendi est, affectus media Potentia, affectus, habitus.

dia adiuvā sq; causa, habitus, ut causa finalis, primùm nos ad agendum movet, quantumvis ultimo in loco à nobis agendo comparetur.

Quot & quænam sunt adiuncta istorum principiorum?

Electio & consilium sunt instrumenta virtutum.

Duo, eademq́; nominatim Electio, & Consiliū. Electio voluntatis est, consilium mentis: utraq́; media & instrumenta actionis. Electio est, ut ita loquar, præconsulta voluntas vel libera actio voluntatis, quâ pluribus bonis propositis meliora, vel pluribus malis propositis leviora eligimus. Consilium est actio intellectus, quâ de rebus dubijs, & incertis in nostrâ potestate positis deliberamus. Obiecta vtriusq; sunt bona, vel apparentia, vel solida: quæ sunt certa, si electionem: incerta, si consilium spectes.

Estne alia definitio virtutis?

Est respectu extremorum; nempe ut sit medium seu mediocritas inter duo vitia vel vitiosos affectus. Vt Liberalitas inter Avaritiam, & Prodigalitatem. Fortitudo inter audaciam & timorem.

Quotuplex est medium?

Duplex, nimirum rei & rationis; illud Arithmeticum, hoc Geometricum; illud quoad naturam, hoc quoad nos; illud ponderis, hoc proportionis; illud deniq́; immutabile, hoc mutabile medium dicitur. Virtus autem est medium quoad nos seu proportionis, quod magis ab hoc quàm ab illo extremorum distat.

Quot modis virtus magis ab uno quàm ab altero extremorum distat?

Duo-

Duobus, vel re, vel ratione. Re, cum oppositorum unum naturâ suâ magis repugnat virtuti; Ratione, cum consuetudo vitæ vitium minoris malitiæ nobis nimis familiare reddidit.

Quot circumstantiæ observandæ sunt in actione virtutis?

Decem: [1] *Quid,* [2] *Quantum,* [3] *Quale,* [4] *Quis,* [5] *Quo,* [6] *In quo,* [7] *Quãdo,* [8] *Ubi,* [9] *Quomodo,* [10] *Cuius causâ: Quid substantiam rei indicat, Quantũ respicit quantitatem; Quale actionis seu operis proprietatem; Quis authorem operis: Quo instrumentum operationis: in quo, subiectum seu terminum cui destinatur opus: Quando tempus: Ubi locum: Quomodo medium: cuius gratiâ finem.*

Quid voluntarium, quid necessarium, quid violentum, quid invitum, quid fortuitum?

Voluntarium est, quod voluntatem principium habet, quodq; à nobis fieri aut omitti potest, ut ambulare. Necessarium, quod causam internam motricem habet, quodq; aliter fieri non potest ut ex embrione fieri hominem. Violentũ, quod externo movente & impellente aut præter aut contra naturam fieri solet, ut incendium ædificij. Invitum, quod partim à voluntate, partim à causâ externâ vi movente pendet, ut eiectio rerum ex navi sæviente procellâ. Fortuitum, quod ignotis causis sæpè contingit ut defossâ terrâ invenire gemmam. Actio virtutis voluntaria est non necessaria, non violenta, non invita, non fortuita & inconstans. Iuxta illud Senecæ, sapiens nihil invitus facit: & iterum. Omne Senec. ad Lucil. epist. 55. Senec. ad Lucil. epist. 67.

hone-

honestum est voluntarium. Non enim honestum potest esse, quod non est liberum.

Quomodo est actio virtutis libera?

Libera est à causa, ab effectu: à causa, quia à voluntate fluit: ab effectu, quia sola virtutis actio hominem liberum, & immunem facit. Hinc vera libertas definitur potestas vivendi ut velis; Vivit autem ut vult, qui rectè vivit, qui nihil facit, vel dicit, vel cogitat, nisi libentèr & libere. *Nemo ergo liber est qui vitiosus est. Nam omnis vitiosus miser. At dices quod virtus sit res difficilis acquisitu. Non est volenti, non est viventi bene. Nam Prosper rectè ait*

Libertas vera quid. Cicero in Paradox.

Prosper. lib. epigram.

Invia virtuti nulla est via.

Tu ergo studiose iuvenis excita voluntatem tuam ad studium & amorem virtutis. Quippe pars magna bonitatis est velle fieri bonum.

Nonne est virtus res necessaria?

Virtus est quidem res necessaria ut nomen necessarij pro utili sumitur. Vel si placet, virtus est res necessaria non quoad esse, sed quoad benè esse hominis. Quia nemini bene est sine virtute. Vt verò necessarium hoc loco opponitur voluntario, virtus res necessaria non est. Nam sub mutationem & electionem cadit.

Estne virtus à naturâ?

Inchoatè est, absolutè non est. Inchoatè, quoad prima semina & potentias unde nascitur: non absolutè quoad habitum, qui solùm à voluntate, industria, & constantia benè agendi pendet. Alij dicunt quidem inesse à natura, id est, non violentèr, aut contra naturam. Quippe virtus naturam humanam con-

conservat, vitium perdit.

Cogine debet quisquam ad virtutem?

Invitus aut coactus nihil meretur laudis: alliciendus ergo est homo ad virtutis studium, non cogendus. Quippe voluntas non cogitur, in qua virtutes sunt. Cæterùm si in curvum succrescat planta, in contrarium inflectenda est ut fiat recta. Hinc monet Philosophus, ut primùm adhibeantur consilia; quæ si non moveant, flagella non negat. Rectè ille quicunq; fuit. Li.1.5. Eth.

Amplecti mundũ quorundã vota laborant, Petrus Riga in Bibl. versificat.
Sed votis obstat verbere trita caro.
Nam nos à vitiis mundanis sæpè retardat
Corporis anxietas, damna, flagella, fames.

In ætate ergo tenerâ instituendâ utroq; modo procedendum est. Nam fieri potest ut timor peccandi, usu & tempore, amor rectè vivendi fiat.

Non est virtus donum Dei?

Est, & hoc ipsum non negat Aristoteles, cum fœlicitatem donum Dei esse concedit. A Deo igitur, ut à primâ causâ, à potentiâ naturæ ut à secundâ. A voluntate humana ut à proxima efficiente, ab actione studiosâ ut à formâ nascitur.

Nihilne commercii habet virtus cum fortunâ? Fortuna quid.

Fortuna, si definias, est causa per accidens in rarò contingentibus, quorum causa ignota est, eventa planè incerta. Hæc causa per accidens non per se dicitur. Quippe solùm respectu ignorantiæ humanæ fortuna causa est, quæ nullum commercium cum ipsâ virtute habet. Est enim virtus constans, fortuna tantùm constans in levitate sua est. Rectè orator sola Ovid. Cice. in Rhet.

virtus

Cicero. in Rhetor.

virtus in suâ potestate est, omnia præter eā fortunæ sunt subiecta imperio.

Quid est ignorantia? et an est causa peccati?

Ignorantia quid.

Ignorantia vel privatio scientiæ vel defectio rationis vel cæcitas mentis definitur esse. Hæc est aut simplex, ut illa defectio rationis in pueris, vel crassa, quæ ipsa & peccatum, est & peccati causa. Qui ergo ex crassâ & supinâ ignorantiâ peccat, duplici pæna dignus est; una pro voluntaria ignorantia, altera pro scelere quod commisit.

Quæro an virtutis acquisitio sit facilis?

Volenti est, ut ante docui; quia volenti nihil difficile, imò difficilia pulchra sed si remipsam spectes dico cum Senecâ.

Senec: Her: Furent.

Non est ad astra mollis è terris via?

Rationem alius poeta sapienter reddit, quia
Latis incedit spaciis terrena voluptas.
Angusto virtus tramite celsa petit.

Prosper in lib. epigrā. Rationes cur difficilis sit acquisitio virtutis.

Virtus enim naturam humanam perversam & proclivem ad mala edomanda habet, subiectum quoque appetitum partem animi ratione carentem habet, veluti punctum seu centrum (rem omnium inventu difficilimam) sedem sui. Vtrinq; monstris id est vitiis & affectibus malis obsidetur virtus; eiusdem ergo acquisitio difficilis, sed possessio dulcis, quę omne onus tollit, omnemq; laborem facilem & iucundum reddit.

Quid excessus & defectus?

Excessus

Excessus est vitium seu affectus exuperans modũ rationis. Defectus est vitium seu affectus declinans à medio rationis. virtus autem est medium non participationis sed abnegationis inter utrumq́; iuxta illud Horatij.

Virtus est medium vitiornm utrinq; redactum, Horat:lib.1 epist.18.

An ne excessus & defectus sint solùm causæ corrumpendi virtutem?

Causæ corrumpendi virtutem sunt vel externæ, ut oblectamenta sensuum; vel interna, ut cupiditas, voluptas, omniaq; animi vitia & affectus in excessu & defectu posita, oppositaq; virtuti. Qui ergo alere & conservare virtutem, optat, neq; in hanc neq; in illam partem inclinare debet. Nam rectè poeta cecinit.

Vento nutritur, vento restinguitur ignis, Ovid. lib.2. de remed. amoris.
Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Illius ergo consilium sequere.

Inter utrumq; tene, medio tutissimus ibis. Ovid.lib.2. Metamor.

Mediũ virtus est & virtus medium, hinc & illinc vitia sunt, quæ virtutem tollent.

Quare est voluptas maximè inimica virtuti?

Primum quia est innata nobis, tum quia est per omnes sẽsus partesq; corporis & animi dispersa, deinceps quia est insidiosa quasi meretrix, quæ citiùs occidit, quam fefellisse videtur. Postremo quia gravius vulnerat, quam alij omnes affectus. Venenum enim non simplex, sed multorum vitiorum habitu vomituq; compositũ, & infectum spargit. Quamobrem virtutem rectè definivit poeta.

Est

Ovid. ep. ad Parid.

Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Recte etiam suasit:

Horat. lib. 1. epist. 2.

Sperne voluptatẽ nocet ẽpta dolore voluptas.

Quomodo sunt affectus stimuli virtutis?

Affectus sunt stimuli virtutis non à natura sua, sed rationis imperio legibusq; subiecti. Sic ira est aculeus fortitudinis; sic amor fomes mansuetudinis. Si vis ergo studiosus esse virtutis, in primis fræno rationis cohibe affectus, passionibus moderare, & cave ne procrastines.

Ouid. rem. am. l. 1.

Sed propera nec, venturas differ in horas?

Memineris semper affectus Deum & naturam dedisse tibi, non escas ad malum, sed quasi scintillulas, quibus ad virtutem accendaris.

Quid est affectus? & quomodo dividitur?

Affectus est motus animi in appetitu sedens, & æquilibrio quasi pendens inter virtutem & vitium; vel affectus est motus animi, qui subiectus rationi nos ad virtutem, natura autem sua nos ad vitium inclinat. Natura sua dico, quia & appetitus in quo insunt affectus, & affectus vi sua aliquantulum nos subtrahũt à ratione. Hinc Cicero affectum definit perturbationem animi, quæ à recta ratione avocamur. Cæterum ut appetitus, in quo insunt affectus, per participationem fieri potest rationis compos; ita affectus subiecti rationi, optima fieri possunt instrumenta virtutis, sicut modo docui. Dividitur affectus generatim in spẽ et metũ, voluptatẽ & Dolorẽ, sub quibus alij affectus continentur, præcipuè autem sub voluptate & dolore.

Li. Tusculа

Quid spes? quid metus? quid voluptas? quid dolor?

Spes

Spes est motus animi mobilitèr ad ea quæ appetit suspensus; vel spes est affectus animi coniunctus cum desiderio et expectatione boni solidi, aut apparentis futuri; vel deniq; spes est anchora animi desiderãtis bonum, aut timentis malum, ne in fauces desperationis cadat: iuxta illud, Spes.

Spes fovet, et melius cras fore semper ait?

Quippe spes alit animum expectantem, & timentem erigit, reficit, et consolatur utrumq;. Rectè ille. Tibullus lib. 2.

Est spes in dubiis semper comes opimte rebus:

Metus est motus seu affectus animi in se contracti opinione præsentis, aut imminẽtis mali; vel, metus est fuga mali ex angustia animi fluctuantis & timentis malum. Utriq; isti affectus in bonis viris inesse possunt, si ad cultum studiumq; virtutis accõmodentur; attamen in malis spes audaciam & præsumptionem, timor pusillanimitatem & desperationem gignit: iuxta illud, Metus.

Si timor est sine spe, mox desperatio lædit:
At nisi spes timeat, statim præsumptio dãnat.

Voluptas est placidus affectus, seu motus, seu diffusio animi in apprehensione convenientis, seu delectabilis boni; vel est delectatio quæ ex amænis obiectis corporis vel mentis in animo percipitur; Sed attende quod vera voluptas solius virtutis sit. In alia enim re nulla solidum gaudium inest: Bene ille. Voluptas.

Fallaces curis semper torquentur amaris,
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet.

Voluptas enim hæc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia, quæ nec interrumpitur, nec unquam desinit. Quippe eam non dedit fortuna, nec sapienti

eripit

Dolor.

eripit. Dolor est tristis & molestus affectus animi, seu contractio mentis ex sensu vel conceptione mali; aut si placet, Dolor est passio cordis, quâ animus vulneratur. Hic affectus aliquando in sapientem cadit, iuxta illud.

Movet & cœlestia quondam
Corda Dolor.

Statius in Thebaide. lib.5.

Huius passionis remedium patientia est. Nam illâ decrescit dolor, & vbi quo crescat non habet.

Lib.1. de conso metro. 7.

Generatim de hisce quatuor virtutibus optimè nos monuit Boetius,

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera Lumen:
Tu quoq; si vis
Lumine claro
Cernere verum
Tramite recto
Carpere callem
Pelle timorem
Gaudia pelle
Spemq; fugato
Nec dolor assit
Nubila mens est
Vinctaq; frænis
Hæc ubi regnant.

Timor. Voluptas. Spes. Dolor.

Hoc ipsum ante Boetium nos docuit Virgilius, qui etiam in eundem sensum sic loquitur.

Hinc metuunt, cupiuntq; dolent, Gaudentq; nec auras,
Suspiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco.

Videli-

Videlicet animæ humanæ quæ hoc loco intelliguntur.

An voluptas & dolor sint obiecta virtutis?

Non solum voluptas & dolor sunt obiecta virtutis, sed omnes etiam sub eorum nomine passiones. Quippe (ut docet philosophus) circa voluptatem & dolorem (id est) circa omnes affectus moderandos vertitur, et versatur virtus. Sed animadvertendum est, quòd duplicia sunt obiecta virtutis, interna, & communia ut affectus; externa, & propria, ut res ipsæ, quæ à sensibus ad animum transmittuntur.

Voluptas et dolor obiecta virtutis.

Opportunè de affectibus hìc loqueris, Dic igitur quæso an sint naturales, An voluntarii?

Cum affectus sint appetentis animi commotiones ad id quod obycitur, sive bonum sive malum, constat ingenitos, & naturales esse quoad proclivitatem primumq; pulsum naturæ: nam infantes & gaudere, & dolere possunt; constat etiam voluntarios esse in hoc sensu, quo rationis imperio subiecti cohiberi, & refrænari possunt, ne ruant, suoq; impetu hominem vel invitum ad flagitia incitent, & compellant.

Affectus naturales et voluntarii.

Quomodo distinguuntur affectus?

Distinguuntur affectus ut alij sint naturâ boni, qui cum ratione, legeq; naturæ consentiunt, sicut benevolentia, misericordia: alij naturâ mali, qui dissentiunt, ut odium, invidia: alij medij, ut spes, metus, dolor, lætitia. Distinguuntur etiam, ut alij sint acriores, quos πάθη, alij leviores, quos ἤθη Græci nominant.

Affectus boni, mali, medii.

Quintilianus li. 6. c. 3.

Definias, quæso, affectus, qui ab Aristotele in Ethicis, & his libris recitantur.

Definiri quidem facilè possunt, consideratione habita

Ratio generalis definiendi affectus.

ta voluptatis & doloris, ad quos affectus præcipuè reducuntur, quippe omnes perturbationes oriuntur ex opinione boni, vel mali, sive præsentis, sive absentis: nam appetitus motum sēper aliqua notitia ante cedit, si ergo oriatur affectus ex opinione boni, eundem affectum voluptas; si vero ex opinione mali, eundem dolor sequitur. At omnes affectus istiusmodi ortum, originemq; habent. Facilis igitur est ratio definiendi generatim affectus. Speciatim vero non gravabor paucis eodem ordine definire.

Definias primum affectus qui ad voluptatem referuntur?

Affectus qui ad voluptatem referũtur.

Ad voluptatem referuntur affectus, vel per sed cum quibus vi sua coniuncta est voluptas, quales sũt spes, amor, desiderium, cupiditas, gaudium, benevolentia, misericordia etc. vel per accidens, ex depravata opinione hominis, & sic ad voluptatem pessimi etiam affectus nonnunquàm referuntur. Nam invidus alienis malis gaudet. Sed hoc loco affectus primi ordinis demonstrabo.

Quid est spes?

Spes duplex.

Spes antè à me definitur. Sed addo ex Cicerone, quòd sit expectatio boni, vel affectio, qua bonũ, aut solidũ, aut fucatum exoptamus. Differt autem spes hìc definita, ab illa divina, quæ virtus est: quæq; rerum sperandarum substantia aut fidei anchora, aut æternæ fœlicitatis expectatio definitur. Cui contrarium est desperatio de qua postea.

Quid amor?

Amor est affectus animi, quo ad diligendum aliquid

aliquid movemur, quod bonum est, vel saltem apparet bonum. Amor turpis, vel honestus: Turpis de quo ille.

Quid non amor improbus audet?

Honestus, qui semper in studio virtutis ponitur, de quo Sedulius Christianus poeta loquitur. Ovid de Fas:

Fortia vincla dedit peccati sæva potestas,
Dulcis amor Christi fortia vincla dedit.

Quid desiderium?

Desiderium est cupiditas boni absentis. Vel passio animi, quâ homo ad bonum absens quærendum alacriùs incitatur: nam aliorum bonorũ nulla est satietas, nullus expetendi finis. Quippe ut ait, Prosper.

Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis. Prosper in lib. epig:

Quid multis? desiderata non habita magni fiũt, vilescunt habita, nisi sint interna virtutis bona.

Quid cupiditas?

Cupiditas est primus quasi pulsus animæ appetentis, seu affectus, quem desiderium sequitur. Differunt autem appetitus, cupiditas, & desiderium. Quia appetitus est subiectum cupiditatis, cupiditas primus actus, vel potius activa potẽtia eiusdem subiecti. Desiderium deniq; actus utriusq; vel motus, quo homo ad rem optatam & desideratam, cum voluptate fertur. Hic affectus moderandus est, ne in infinitum fluat. Recte ille.

Nemo nimis cupidè sibi rem desideret ullam,
Ne cum plus cupiat, perdat, et hoc quod habet;

Quid gaudium?

Gaudium est placida, & constans affectio animi, quæ boni alicuius præsentis (quo delectatur animus) opinione commovetur. Vel gaudium est diffusio animi in apprehensione convenientis, seu delectabilis boni. Hic affectus si sit moderatus, plurimum naturam humanam recreat; hinc illud

Stat. -Dant gaudia vires.

Si vero sit immoderatus, impense nocet, ut supra de voluptate ostendimus. Sed gaudium immoderatum, potius lætitia, quàm verè gaudium dicitur.

Quid lætitia?

Gaudium & lætitia differunt.

Lætitia & gaudium differunt, quia in gaudio placidè, & constanter, in lætitia vero inaniter, & effuse movetur animus. Hinc lætitia definitur nimia delectatio animi, vel dissolutio potius, quâ veluti ruptis modestiæ vinculis in risum effunditur, & per quosdam lasciviæ motus exteriores ostenditur. Hinc illud,

Symachus In lib. epist.

Lætitia res loquax est, atq; ostentatrix sui?

Consilium poetæ audiendum, & sequendum est in hac re,

Ovid lib. de Pont.

Tu modo sic timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris fieri tristia posse puta.

Ratio est, quia citò improborum læta ad perniciem cadunt.

Quid benevolentia?

Benevolentia est amabilis affectus animi, quo affecti benevolumus, & optamus aliis. Vel est dulcis amoris, & amantis motus, in rem amatam transiens. Vel est affectus benignæ voluntatis, bene optantis, aut facientis alteri. Sine hoc affectu vita humana

miseria est. *Nam benevolentia sola concordiam alit. Amicè enim accipienda sunt omnia cum benevole fiunt.*

Quid misericordia?

Misericordia est compassio alieni mali, vel est passio animi, quæ hominem in miseros, & afflictos propensum, & benignum reddit. Vel denique est ægritudo cordis, ex alterius rebus adversis, aut ex miseria alterius iniuriâ laborantis. Huius affectus nobilissimi est proprium, solatium, auxiliumq́; præstare miseris, iuxta illud Ovidij.

Regia crede mihi res est succurrere lapsis. Ovid. li. de Pont.

Et certè illud Lactantij verum est, qui perituro succurrere potest, & non succurrit, occîdit.

Quid est indulgentia?

Indulgentia est affectus animi, misericordiæ affinis, qui nos movet, non solum ad favendum, sed etiam ad ignoscendum alijs qui lapsi sunt. Vel est (ut Vincentius definit) affectio seu passio animi ex qua reatus alieni remissio nascitur. Hæc affectio ferrum severitatis sæpe retundit, si ratio parcere, & æquitas connivere suadeant. Rectè suasit Poeta

Si sapis indulge, domini vultusq; severos Ovid.
Exue: nec rigidi iura tuere viri.

Rationem reddit Ovidius, nam

Parcendum est animo miserabile vulnus habenti. Ovid. li. de pont.

Quippe res magna clementia est, indulgendo peccata potius quam vindicando corrigere. *Cæterum cavendum est, ne indulgentiam in licentiam cōvutemus, alijs enim frænos imponere, alijs indulgere opor-*

oportet si laxis habenis homines peccent, malo viros offendere, quam adulãdo placere, imò *illud Senecæ verum est.*

Sene: in Troa: act: 2. sc: 2.

Qui non vetat peccare cum possit, iubet.

Quid feruor animi?

Zelus quid.

Feruor animi, seu zelus, est affectus, quo veluti flamma exardescit homo, ad defensionem veritatis. Vel est passio ex amore iustitiæ orta, non ferens contumeliam veritatis, movens hominem ad acerbam correptionem, aut correctionem sceleris, emendationis causâ. Vel deniq; est motus animi ad ipsam reprehẽsionem, aut correctionem delinquentis. Huius affectionis insignis usus est in vita humana, ut mali ab immanitate, immunitateq; peccandi avocentur. O quam deferbuit hic feruor hodie cum omnes fere Mitiones Terentiani sumus. Sed meminisse oportet hoc dictum fuisse sapientis, in reprehensione vitiorum, malo mihi successum deesse, quam fidem. *Et illud, quod* cuius aures veritati clausæ sint, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. *Cæterum in hoc affectu sequenda duo sunt, nimirum reprehensionis tempus, & modus: de tempore recte Ovidius.*

Ovid de remed. l. 1.

Impatiens animus nec ad huc tractabilis arte
Respuit, atq; odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tum cum sua vulnera tãgi
Iam sinet, & veris vocibus aptus erit.

De modo reprehensionis rectè nos monent illi, qui istum ardorem animi carere omni acerbitate, malitiâ, et contumelia volunt. Quiq; summam prudentiam requirunt ad hunc affectum moderandum,

dum, ne in Ætnæ quasi flammas cæco impetu feramur, nam

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit. — Lib. de ponto.

Videntur hæ postremæ affectiones nimirum misericordia, indulgentia, & furor animi non coniungi cum voluptate: malè ergo hîc definiuntur. — Dubium.

Etsi in misericordia, cæterisq; duobus affectibus pati videamur, eosdem tamen vera voluptas sequitur, quia sunt affectus boni, dolor enim est comes malorum affectuum de quibus nunc ordine dicemus. — Solutio. Affectus malos dolor sequitur.

Quid est ira?

Ira est furor brevis, et insaniæ principium. *Vt ait Ennius. Vel est subita passio animi, quâ vehemẽtius homo ad breve tempus accenditur, offenditurq;. Vel deniq; est inflammatio, et ebullitio sanguinis circa cor, spirituumq; perturbatio, qua animus cito cõmovetur adversus aliũ. Hæc passio præceps est in se, et periculosa, si in iracundiam, aut odium transeat, Rectè de ira cecinit poeta.* — Cic. tusc. Quæst. l. 4.

Iustum præterit ira modum.

Quid iracundia?

Iracundia est tempestas iræ, vel impetuosus, et turbulentus affectus irati, quo adversus alium quispiam diu commovetur. Vel iracundia est passio furiosa animi cũ desiderio ulciscendi coniuncta. vel deniq; iracũdia est ardens desiderium ulciscendi eum, qui nos vel læsit, vel læsisse videtur iniuriâ. Hæc passio, ut docet Cicero est consilio innimica, et victoria insolens et superba. *Fuge igitur iracundiam* — Cic. pro Mur. Ex proverbiis sapientum.

Ex proverb. sapientum.

nam ingenia recta debilitat iracundia prava *Semper ab alio incipiat dissensio, à te verò re conciliatio.*

Quid odium?

Odium est ira inveterata, vel diuturna, et malitiosa iracundia, vel est motus animi infestus charitati, qui flammas occultas, et perpetuas in animo irati nutrit: occultas dico, quia sæpe odij concepti ratio non datur, iuxta illud Martialis.

Lib. epigr.

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare:
Hoc unum possum dicere, non amo te.
Recte etiam Ovidius.
Sæpe tacens odii semina vultus habet.

Côtẽptus. Inimicitia.

Referuntur ad odium perturbationes plures; ut contemptus, quo quis alium se putat abiectiorem; ut inimicitia, quæ definitur, ira ulciscendi tempus observans: ut malevolentia, quæ est (ut ita loquar) furentis malitiosa voluntas, qua quispiam ad vindictã rapitur; ut invidia ipsaq; malitia, quos duos postremos affectus ordine definiam.

Quid invidia?

Invidia malâ consuetudine vita confirmata, vitiũ est, motu autem depravati appetitus nata, passio, seu affectus animi definitur, quo quis ægrè fert res prosperas, & secundas boni viri, hinc illud

Horatius.

Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Alij definiunt invidiam inveteratum odium, vel ægritudinem ex aliena fœlicitate natam, animumq; invidiosi torquentem: vel deniq; alterius bono tabescentis animi cruciatum. Huius partes tres sunt

afflictio

afflictio in prosperis alterius boni viri, exultatio in adversis, maledictio perpetua, quæ definitur invidentis meliori odiosa imprecatio, ut. Invidiæ tres partes. Ovid. in Ibin.

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas.

Differt invidia ab odio, quia illa plerumq; occulta est, hoc sæpe apertum, et quod illa nascitur ex alterius rebus secundis, quæ nihil invidenti nocent: hoc verò ex eo quòd læsisse, vel læsurus videatur, quem odio habemus. Concludam verbo. Discrimen inter invidiam & odium ex plutarcho in lib. de invidia & odio.

Invidiâ Siculi non invenere tyranni
Maius tormentum. Hor. li. epi.

Quid malitia?

Malitia est quasi fulmen concitatæ invidiæ, vel est odium, aut intùs ardens, aut foris prorumpens, in malum, damnumq; alterius. Vel est (ut quidam definit) malevolentiæ actus, motusq; invidiosæ voluntatis, quâ homo infectus, non quiescit, donec verbo, aut facto illum læserit, in quem offenditur. Vel deniq; est avida, odiosæq; voluntatis perniciosus excursus in damnum alterius. Triplici modo nocet malitia, aut vi aperta, ut potentes; aut insidijs, ut latrones; aut hypocrisi, & dissimulatione vt solent amici falsi, & proditores. Sed meminerint isti dictum illud Prosperi. Triplici modo nocet malitia. Li. epigra.

Nam quicunq; alium molitur lædere, primum
Ipsum se iaculo percutiet proprio.

Probe te monuit quicunq; fuit. Ab alio expecta alteri quod feceris. Nam qui iniuriam faciunt, oderunt iniuriam: prosp. lib. epigram. Malignitas

Malitia

Malignitas Nequitia. *Malitiæ comites sunt malignitas, quæ est invida voluntas nocendi, cum non datur ultra; & nequitia, quæ est affectus, seu motus animi malitiosus, quo quis furenter audet quidlibet in damnum, aut perniciem alterius, quantumvis præstare nequeat; obtrectatio, quæ est alieni nominis famæque læsio, & vulneratio.* Obtrectatio. *Istius mali progenies longè latéq; in omnes ferè orbis terrarum angulos irrepsit, suumque venenum sparsit, quo infectæ linguæ malorum periculosius vulnerant, quam si gladio præcordia altius transfoderent. O pestis humani nominis, virtutis, vitæ, & famæ. Machiavelle, qui odiosam artem & legem malitiosissimè obtrectandi præscribis, vulnera (inquis) famam; nam etsi curetur vulnus, cicatrix tamen altius remanebit. Monstrum, sine fide, sine Deo, quid monstri alis? Lividam obtrectationem laudabilem esse putas? aliud te docuisset Poeta,*

Li. de pont.

Lædere vivos
Livor, & iniusto carpere dente solet.

Et certe si non fuisses malus servus civitatis, in qua vixeras, hoc unum didicisses.

Iuven. li. 3.

Lingua mali pars pessima servi.

Quid æmulatio?

Æmulatio. *Minùs aptè à quibusdam definitur æmulatio invidiæ, aut malitiæ, aut obtrectationis species. nam si propriè sumatur, nihil aliud est, quàm affectus, quo cum alijs contendimus, ne in bonis ab illis superemur. Hinc illud.* Æmulari licet; invidere *non licet. æmulus enim non est malitiosus, invidus autem alienis bonis semper contabescit. Rectè ergo definiri potest Æmulatio motus animi quo ad contentio-nem*

Arist. 2. Rhe. ca. 11.

nem utilem, & civilem pro victoria, aut laude in bonis incitamur. Sed cave ne inani gloriâ aut laude nimis ambitiose contendas: nam

Hic quicunque nova sublatus laude tumescit, Avianus.
Dat meritò pœnas, dum meliora cupit. Arist, 2. Rhet. ca. 11.

Conclude ex authoritate Aristotelis hunc affectum nec esse ab animi præstantia, nec ab ingenij probitate alienum. Nam æmulantis est angi alieno bono quod cupiat, seque assequi posse arbitretur, non quòd alius eo potiatur, sed quòd ipse careat. Itaque ut improbos ad facinus impellit invidia, sic æmulatio probos ad studia virtutis hortatur. Pastor ille Virgilianus æmulari dicatur cum dixit:

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,

Et iterum:

Non equidem invideo, miror magis:

Nam, ut docuimus: æmulantis est admirari, non invidere. Sequitur nunc imitatio quæ est meo quidem iudicio potiùs actus æmulationis quam affectus: quippe hoc opus, hic conatus, hoc studiū æmulantis est, ut ad idem bonum (quo fruuntur alij, & ipse dolet carere) assequendum semper contendat.

Quoniam definisti æmulationem, quæro an imitatio quæ est eidem cognata sit etiam affectus?

Etsi à quibusdam definitur imitatio inter affectus (quoniam est ardens desiderium alium sequendi in re aliqua:

Imitatio affectus animi quia desiderium per quod definitur est affectus.

aliqua: & imitationis aut desiderij tamen effectum potius quam per se & via sua affectum definire velim. Sed in re non magni momenti communem sequar opinionem: est ergo imitatio affectus seu motus animi quo vehementer desideramus fieri illis similes, quos diligimus, aut quos novimus alijs in re aliqua longè præluce-re. Vel deniq; est ut supra definivi, ardens cupiditas, seu desiderium aliorum studijs aut vestigijs insistendi, eousq; dum in re quam in illis admiramur, conatu & industria nostra efficiamur similes. Sunt qui hunc affectum ad solum bonum per se referri volunt, quippe in malis magis assentatio, quam imitatio dicitur. Ceterũ si latius hoc nomen sumatur, imitatio in malis esse potest. Veruntamen qui se ad malos mores alterius imitandos flectit, seipsum nomine & fama perdit. *Si ergo vis esse pius, pios & bonos imitare.*

Exemplo enim virtutis quod fit, tuto fit.

Differunt hi duo affectus, quia æmulatio solum in bonis est: imitatio autem, & in bonis & in malis. Præterea æmulatio sæpe est sine actu in animo æmulantis. imitatio autem est ipse actus æmulantis. Postremo æmulatio est semper coniuncta cum dolore quod desit bonum, quo frui contendimus. Imitatio vero sæpe coniuncta est cum spe, & voluptate, quæ vires & alacritatẽ addunt conatibus, & studijs nostris, ut id boni tandem consequamur, quo frui peroptamus.

Quid impatientia?

Quidam hic dubitant, an impatientia sit vitium, vel affectus, cum opponatur patientiæ quæ est virtus. Sed resolvitur dubiũ, quòd impatientia, similesq; affectus considerantur duobus modis, vel respectu potentiæ, inclina-

clinationis & motus in appetitu trahentis animum à rectâ ratione, & sic sunt affectus: vel respectu consuetudinis, & habitus in voluntate, & sic virtutes, aut vitia dicuntur; virtutes, si consuetudine vita ad rectā rationem flectantur: vitia, si ab eadē penitus declinēt. Sed ad propositum redeo:

Impatientia est ergo malus affectus, quo animus deiectus in adversis impetuosos suos motus refranare non potest. Vel est molesta animi perturbatio, qua latentem cordis dolorem impatientissimis motibus ostendit. De hoc affectu recte Quintilianus, humanæ infirmitatis (*inquit*) ista natura est, ut ex omnib⁹ accidentibus gravissimum putet quisq; quod ipse patitur, sed nullum habemus nisi ex impatientia dolorem, & ut aliquid crudele aut acerbum videatur sola impatientia facit: *fugienda est ergo impatientia ut anguis; nam impatiens nullum portum, nullum tempus quietis habet.*

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est, — Tibul. lib. 2.
Omnia nunc tristi tempora felle madent.

Sed heu quam miserum est, quòd faciliùs reperiantur, qui se ultro morti offerant, quàm qui dolorem patienter ferant: sed ignosco: nam ut excitat interdum vires dolor: *ita sæpe* frangit fortia corda dolor. — Galther. Tibullus.

Quid furor?

Furor est impatientis animi fanaticus motus, qui ad tempus hominem penitus à sede rationis deturbat. Vel furor est animi inveterata tempestas rationem humanam mentēq; subvertens. Vel deniq; est phreniticus motus animi, qui hominem insano similem facit, verbisq;

Furoris causæ.

titq; in truculentam quasi feram. Huius causa prima ira est, proximæ causa impatientia est. *Quam primum ergo te ira movet, frænum inijce. nam* si patiaris iræ flammulas succrescere, furoris incendium fiet: *rectè ille*

Gualtherus in Alexandreide.

Comes indivisa furoris
Præcipites capit ira gradus, & fellea torquet
Lumina, contemnitq; humiles rationis habenas.

Nam ut Prudenter Prudentius docet, furor
Sanguineæ torquet suffuso lumina felle,
Impatiensq; moræ est.

Quid desperatio?

Tusculan. lib.4.

Desperatio est furiosa, & horrenda passio animi fulminibus et conscientiâ suorum scelerum vulnerati, ruentisq; sine spe in omne malum & perniciem sibi. Vel est extrema boni desiderati habendi diffidentia. Vel est abiecta mentis cõsternatio, ut Cicero definivit. Vel deniq; est fracta quasi anchora salutis, mors animi, cõscientiæ furor, horror imminentis pœnæ, mortisq; perennis causa. O monstrũ, quot hodie in tuas fauces recipis? tot certe q̃ sibi miserã cõsciscũt mortẽ. heu an liceat christianis seipsos occidere potiꝰ q̃ in hostiũ manus incidãt?

Persius.

O curvæ in terras animæ, & cœlestiũ inanes.

Impia et curva est hæc opinio non recta: nã desperationis nulla præter spẽ existit medicina: *spe ergo semper nosmet erigere cõtra hoc monstrũ oportet: nam*
Quamvis sit merces meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Quid? an sunt alii affectus?

Sunt alij leniores quidẽ, ut indignatio, suspicio, verecũ-

dia

dia, solicitudo.

Quid est indignatio?

Indignatio capitur in bonã, vel malã partem: in bonã partẽ accepta est passio animi, qua res secundas ijs, qui sunt illis indigni, obtingere vehemẽtius dolemus; vel est aculeus iusti iudicis, quo ad vindicãdũ peccatũ in malis excitatur. In malã partẽ accepta definitur superba, et malitiosa inferioris contemptio: nam vulgo indignabundus is dicitur, qui philautiâ turgens alios contẽnit, sed loquendum cum vulgo, sentiendum cum philosopho, qui indignationem aculeum iustitiæ definit esse. Hac ergo passio in bonam partem accepta, stimulus iudicis, vindex peccantis, virga severitatis est, *si eandẽ in iudice et iudicio non retundat auri sacra fames: nam* — Indignatio duobus modis sumitur.

Quid faciant leges ubi sola pecunia regnat, — Petronius.
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Iã nunc iudiciũ nihil est nisi publica merces,
Ad prædã, strepitumq; lucri suffragia vertit,
Væenalis populus, vęnalis curia: &c.

Immo vænalia omnia si iudex relicta indignatione scelerum sequatur pecuniam,

Et fovet iniustam corruptus munere causam. — Gualtherus lib. 7.

Quid suspicio?

Suspicio est sinistra affectio animi nõdũ ratione firmata, quâ homo ad iudiciũ temerariũ, vanãq; de alijs opinionẽ in rebus incertis fertur. vel est motus animi metusq; impendentis mali, reddens hominẽ in omnibus sine iusta causa, et ratione meticulosũ. Vel deniq; est, affectio, quâ homo infectus veluti insanit, putatq; õnia de se dici. Ista affectio plerunq; ex melancholiâ nascitur: sunt enim melãcholici maxima ex parte timidi, et suspiciosi. sed si sis probus, Catonis consilium audies. — Melancholici maximè suspiciosi.

Ne

Cato. Ne cures si quis tacito sermone loquatur:
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

Si verò sis malus, iustam causam timendi et suspicandi habes: sed,

Quam miserum est vitam porta muroq; tueri,
Ovid: lib: 4. de trist. Vixq; sui tutum viribus esse loci?

Quid credulitas?

Credulitas est affectio suspicioni cognata, quæ cito, leviter, et facile absq; rationis iudicio, aut examinatione hominem movet ad credendum auditis. Sub Opinio. *credulitate & suspicione quidam opinionem comprehendunt, eandemq; definiunt affectum animi quo timide movemur ad assentiendum & credendum auditis.* Lib. 4. Tusc. *Verbo, opinionem definit Cicero imbecillam assensionem animi. Cæterum quoniam nusquam apud Aristotelem reperio hanc annumerari inter affectus, sed potius sub arte, aut opinione comprehendi (est enim dubia cognitio rerum, vel animi assensio cum formidine assentiendi coniuncta) eandem hoc loco omitto, & de credulitate id solum dicã, quod olim Ovidius dixit.* Lib. 4. de fastis

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Petronius. Sed nos in vitium credula turba sumus.

Verum hoc meminisse oportet Quod nunquam recte facit, qui nimis citò credit.

Quid sollicitudo?

Sollicitudo est motus animi districti distractiq; curis, iisdemq; vehementer angentibus hominem expectatione, metuq; malorum: sollicitus enim est, qui sibi (ut aiunt) scalpendis auribus ocium non concedit, sed

semper

sẽper suspiciosus, timidus, anxius in curis vivit. Hinc colligo quòd melius sit ignavum & otiosum esse, quàm nimis solicitum. Istius affectus mater, immoderata cura habendi est. Cæterum ut rectè cecinit Prosper.

Magnum peccatum est amor immoderatus habendi. Prosper.

Quid verecundia?

Verecundia est motus animi, seu metus turpitudinis obiectæ, vel abijciẽdæ, quem color seu purpura virtutis, index mentis in fronte sequitur. Vel verecũdia est passio subita in corde vel phantasiã, concitata ex suspicione, & cõscientia commissi, aut concepti mali, quã spiritus à corde in frontem missi evidenter indicant. Vel denique est ipsa quasi fulguratio læsæ phantasiæ, aut conscientiæ, celerrimo spirituum motu, à corde veluti à nube in vultum transmissa. Hic affectus in iuvene signum pænitentiæ est, conscientiæ nuncius, color virtutis: in sene autem est signũ pessimę vitæ & argumentum sceleris: *spiritus enim in sene quasi mortui et sepulti sunt, & non nisi vulnere in cõsciẽtia accepto, à cordis sinu in altum evolãt; vultus tamen senis mali loquitur aliquando malum. Nam ut Ovidius ait,*

Sæpe tacens vocem, verbaq; vultus habet. Lib. de arte 1.576.

Sed si causam erubescendi senex in conscientia cõceptã habeat, erubescat tãdẽ, et exclamet cũ eodẽ poeta.

Heu quã difficile est crimẽ nõ prodere vultu? Lib. Metamorph. 2. 447.

Verum enimvero si erubescat invenis, Salva res est: spes magna virtutis, et conscientiæ manet; *Hoc enim signum est confitentis crimen, iuxta illud.*

Erubuit, gremioq; pudor deiecit ocellos. Ovid. lib. epistol.

Hæc satis in tacita signa fatentis erant.

Hactenus de affectibus, in quibus definiendis & moderandis maxima ex parte versatur moralis philosophia: nunc de virtutibus et vitijs pauca adycienda sunt, ut eorum definitionibus cognitis usus melior & disserendi et etiam bene vivendi fiat, sed aggredior opus.

De virtutum & vitiorum causis, obiectis, & subiectis antea generatim egi, nunc ordine si quaras, speciatim de singulis respondebo.

Suntne quædam præcipuæ virtutes, ut sunt affectus?

Sunt & philosophis virtutes cardinales, primariæ, aut heroicæ dicuntur; vel quia sub eis continentur reliquæ, vel quia sine illis bene esse non possunt, vel deniq; quia cū illis in una vel altera proprietate cōveniunt.

Quæ sunt istæ virtutes?

Iustitia, qua recte iudicando sua cuiq; distribuuntur. Prudentia, quâ mala a bonis discernuntur. Fortitudo, quâ æquanimiter adversa tolerātur. Tēperātia quâ libido, cupiditas, & voluptas refrænantur.

Definias quæso accuratius has quatuor virtutes, & tum alias sub iisdē ordine contētas.

Et si non opus sit accurate hic definire has vel illas virtutes, cum & in Ethicis & in his quoq; libris a nobis definiantur; paucis tamen id ipsum a te rogatus nunc agam, [1] tum quia nunquam satis virtutis nomē inculcari potest, [2] tum quia verbis renovata memoria facilius nos ad actionē virtutis trahit, [3] tū quia ex definitionibus traditis optimus usus virtutū elicitur, [4] adde etiam quòd cognitis definitionibus melius

Causæ 4. cur sępius definiātur virtutes.

de

de virtutibus, de earum causis, effectis, oppositisq; disputetur.

Quid est iustitia?

Iustitia est vel universalis, vel particularis: universalis definitur virtus volendi bene, operandi iusta, lædendi neminem, cuiq; tribuendi suum. Per iusta hoc loco officia omnium virtutum intelligo; nam,

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

In hac definitione spectantur duo, voluntas, & opus, quippe perfecta iustitia non est, si hæc duo non coniũgantur: hinc ab imperatore definitur iustitia constans et perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi. particularis iustitia a multis æquitas dicitur, et definitur virtus moralis, qua quis nec plus, nec minus aut accipit, aut tribuit, quàm oportet, sed ut unus quisq; dignus sit, & mereatur. Vel est virtus moderandi particulares defectus legis. Vel deniq; est moderatrix severitatis avocans iudicem ab extremitate iuris. Dividitur iustitia in iustitiam commutantem, quæ est virtus distribuendi cuiq; æquale proportionis in commercijs; et in iustitiam distribuentem, quæ est virtus tribuendi cuiq; æquale proportionis in dignitatibus, honoribusq; reipublicæ: æquale proportionis dico, quia æqualitas est duplex; vel ponderis, quod omni ex parte æquale est, et mutari nõ potest: vel proportionis, quod pro meritis hominum et secundum prudentiam iudicis merentibus datur, quodq; mutari potest.

Lib Institit.

Iustitia cõmutans, distribuens.

Quę sunt obiecta et opposita universalis & particularis iustitiæ?

Obiectum universalis iustitiæ, est materia omnis virtutis; obiectum particularis est, vel cõmerciũ, si iustitiam

stitiam commutantē; vel honor si distribuentē spectes.

Opposita universalis iustitia sunt pati, et agere iniuriam, quorum primum non est semper vitium, sæpe enim iusti patiuntur iniuriam: opposita particularis iustitiæ sunt plus minus; vel secundum aliquos damnum et lucrum, ut iniustitiam suam causam habent, quæ iniustitia nec merita in commercijs, nec præmia in honoribus considerat, sed damnum lucrūq; infert pro arbitrio.

Estne alia iustitia præter moralem?

Est, nempe naturalis, et civilis; naturalis est insita ratio, vel lex naturæ, ut quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: civilis politica, seu legalis dicitur, et definitur virtus, seu ratio vivendi secundum leges prudēter conditas, et in executione positas. Hæc virtus à philosopho optima dicitur, quia non solum habentem respicit, aut bonum facit, ut reliquæ: sed etiam ad alios (quos lege et ratione dirigit) refertur. Huius officia quatuor sunt; leges sanctus condere, leges conditas definire, leges conditas et definitas exequi, & deniq; omnia ad publicum usum et bonum dirigere.

Officia iustitiæ.

Quid est prudentia?

Prudentia est heröica, seu cardinalis virtus præscribendi circūstantias in actionibus omniū virtutū. Vel prudētia, est activus habitus mētis hominē dirigens ad agendum et operandū secundū virtutes morū. Vel deniq; prudētia est habitus recte providēdi, cōsultādi, eligēdi: hinc proprietates prudentiæ sunt providere, consultare, eligere; et hæc omnia ad opus virtutis dirigere, et accommodare. Prudentiæ tres partes sūt. Providētia, quæ est sagax rerū futurarū præscientia;

Prudentiæ tres partes.

entia; consiliũ, quod est subtilis et ingeniosa ãte opus inceptum consideratio; et denique circũspectio, quæ est cautissima evitãdi contraria, et proposita persequendi ratio. De providentia rectè Galfridus.

Præconsule mentem,

Et vires metire tuas.

Salustius optimum de consilio consilium dedit, priusquã (*inquit*) incipias consulito et ubi consulueris, maturè opus est facto. *Nihil addam de circũspectione, nisi illud quod poeta monet, Esto*

Argus, et argutis oculis circũspice, ne sis Secur⁹.

Opposita prudentiæ sunt stultitia, quæ est privatio prudentiæ, vel ignorantia circumstantiarum in actionibus virtutum: et temeritas, quæ est præcipitatio consilij. Vetus est illud omnes stultos insanire, et verum etiam est illud, præcox ingenium, præcepsq; consilium malum.

Tullius paradox.

Quid fortitudo?

Fortitudo.

Fortitudo est virtus heröica inter timorem, et audaciam, quæ hominem animosum et confidentem in periculis suscipiendis, et susceptis propulsandis reddit. Vel est virtus, quâ homo ornatus, nec blandimentis fortunæ intumescit, & elevatur, nec impetu rerum adversarum frangitur. vel denique est virtus, quæ in periculo vitæ, belli, et mortis omnium maxime eminet, et excellit. Huius virtutis obiectum, res formidolosa est: opposita vero sunt; timor, qui ante definitur, & audacia, quæ est vitium animi, quo inconsideratè & præcipitantèr pericula suscepta sunt. Vtrumque uno versu complectitur poeta.

Audacia.

Audaces fortuna iuvat, timidosq; repellit.

Fortuna audaces iuvat non virtus: virtus enim solum in rebus angustis animosos et fortes iuvat: quamobrem,

Qui valet adversis ornatam ducere vitam.

Hic magnanimus est: quippe nunquam periculum sine periculo vincitur, & nihil est magnum in rebus humanis, nisi animus despicientis malum, *malum, inquam, foris ab hoste, & malum intus in mẽte, nam*

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit

Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Confidentia quid.

Húc nonnulli referunt confidentiam virium, quæ si sit moderata, species fortitudinis analogicè dici potest; est enim habitus, qui ratione adhibitâ nostrarum virium, nos monet ad aggrediendum periculum in iusta, & honesta causa. Cæterum si sit immoderata, cæcus potius impetus, & temeritas, quàm bonus habitus, et fortitudo dicitur.

Quid est temperantia?

Temperantia est heroica virtus, inter intemperantiam & stuporem, seu defectionem voluptatis posita, quæ in moderandis voluptatibus gustus, et tactus versatur: vel est rationis in libidinem aliosque non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio: huius species sunt abstinentia, quæ circa cibum: sobrietas, quæ circa potum: pudicitia, quæ circa venerem: castitas, quæ circa veneris usum: virginitas, quæ circa primum veneris motum, & pulsum moderandum, quæ-

Abstinẽtia Sobrietas Pudicitia Castitas Virginitas quid.

quadam temperantiæ, vel voluptatum moderatrices definiri possunt. Intemperantia est vitium in excessu voluptatum, ex esculentis, & poculentis perceptarum. Stupiditas est vitium, in defectu voluptatum, gustum, tactumque moventium. Quid multis? Vis esse temperans, ede, ut vivas, non vive, vt edas. Vis abstinere? Hoc disce, quòd natura sit minimis contenta. *Vis esse sobrius? audi poetam.*

Certa tibi dabitur nobis mensura bibendi, Ovid. art. amand. l. 1. 591.
Officium præstent mensque, pedesque suum.

Vis esse pudicus? Audi Terentium, sine cerere, & libero friget Venus. Terent. Eũ. act. 4. sc. 5. *Huc adde,* ---nulla reparabilis arte, Lęsa pudicitia est: Deperit illa semel. Ovid. ep. Oenõ. par. *Castitati studes? Popinas vermium, bellaque sterquilinia fugito. Si sis virgo, phœnix es, imo & fœlix etiam: nam*

Virginitas animæ est intemerata fides:

Quid est continentia?

Cõtinẽtia. *Continentia est affectio, seu virtus admodum affinis, & cognata temperantiæ, & definitur affectus, seu habitus, quo quis rationi obtemperans, vehementes gustus, & tactus delectationes, ad turpe trahentes superat. Vel est virtus per quam humanorum affectuum impetus, consilij moderamine refrænantur. Huius opposita sunt incontinentia, quæ vehementes delectationes, aut tristitias ad turpe trahẽtes non vincit: et rara stupiditas naturæ, vitæ consuetudine aucta, quæ stimulis voluptatum non movetur. Incontinentiæ species sunt voluptatum temeritas, quæ sine*

Temeritas
infirmitas
mollicies
deliciæ.

sine consilio rapit ad libidinem: debilitas, seu infirmitas, quæ in principio resistit, sed victa cedit voluptati: mollities, quæ omni voluptatis, aut doloris motu vincitur: deliciæ, quæ hominem ab omni pugna, & labore deterrent. Remedium horum omnium est,

Ovid. rem. am. lib. 1. 139.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Quid est liberalitas?

Liberalitas est virtus, cuius ope mediocritatem in damnis, et accipiendis pecunijs observamus. Vel est ipsa inter prodigalitatem, & avaritiam ratione definita mediocritas. Prodigalitas est, in dando excessus, vel vitium, quod propria dissipando, superat. Avaritia vero est vitium, quod in usu pecuniarum deficit. Cuius comites sunt rapina, fraus, usura. Rapina est in rem alienam violenta depredatio. Fraus est rei alienæ clãdestina surreptio. Usura rerum alienarum ultra sortẽ ex pacto exactio: Liberalitatis opera sũt omnia, quæ à cõmiseratione, & charitate fluũt; ut captivos redimere, vestire nudos, opẽ præstare miseris, dare gratis,

Crede mihi res est ingeniosa dare.

Ovid. amo. li. 1. el. 8. 62.

At si sis prodigus,

In flammas flammas, in mare fundis aquas.

Nam effundis ibi, ubi non est opus. Verum si congerendis opibus delecteris, cave, quippe

Corn. Gall.

Præstat supellex sobria,
Recteq; parta recula,
Quam parta per vim divitum
Fastidiosa copia.

Et certè hoc verum est. Nam

Quid mihi divitiæ, si non conceditur uti?

Quid

Quid est magnificentia?

Magnificentia est magna liberalitas. Vel est virtus, qua magnitudine sumptuum liberalitatem superat. Vel est virtus moralis, qua quis circa sumptuum magnitudinem neq; abundat, neq; deficit, sed recta ratione definitam mediocritatem seruat. Exempli causa: magnificus est, qui magnifica templa deo extruit, aut qui pro reipub. salute magnificum regi munus dono mittit. Huius opposita sunt rudis profusio, quæ inepte effundit omnia, & sordida parsimonia, quæ in ipsis necessarijs deficit. Rudis profusio est, exempli causâ, si picta sepulchra, aut palatia vivus ad ostentationem faciat. Sordida est parsimonia, ut si dives declinare, aut corruere sua ædificia sinat, cui abũdant opes, quibus instaurare potest. Sed quid dicam de prodiga avaritia istorum temporum? Dicam certè id solum, quod olim Ovidius dixit

Magnificẽtia. Profusio parsimonia.

Aurea nunc vere sunt sæcula. Plurimus auro,
Venit honos: auro conciliatur amor.
Effodiuntur opes irritamenta malorum:
Iamq; nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellũ, quod pugnat utroq;.

Lib. de arte 2. 277. Propert. l. 3. el. 12. Lib. Metamorph. l. 1. fab. 4.

Sed ut Narcissus apud poetam, sic de se avarus.
in opem me copia fecit.

Lib. 3. 466.

Tam enim deest avaro quod habet, quam quod non habet.

Quid magnanimitas?

Magnanimitas est heroica virtus inter superbiam & pusillanimitatem posita, quæ hominẽ honoribus dignissimum, nec prosperis efferri, nec deprimi adversis docet.

Superbia. *docet*. Superbia est vana, et insolens philavtiæ filia, *ambitiosè quærens honorem, quo est indigna. Vel est vitium in excessu magnanimitati oppositum, quo quis infectus, suiq; amore cæcus, putat se dignum omni honore, quo minimè dignus est. Hoc vitium à quibusdam interpretibus lentitudo dicitur. Sed verbi nationem non video, cum lentitudo tarditatem ad honorem, superbia velocitatem significet. Pusillanimitas est vitium in defectu, magnanimitati oppositum, quo quis dignus honore se, non ex humilitate, sed ex abiecta opinione animi indignum putat.* Magnanimitas animi, ut ait Plinius, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert. Rectéque facti non ex populi sermone laudem, sed ex facto petit *Meminerit superbus, et ambitiosus cuius vox illa fuerit.*

Pusillanimitas.

Pli. ad Catulium.

Regnabo, regno, regnavi, sum sine regno.

Qui est abiecto, & prostrato animo, recordetur se recusando honorem debitũ, non sibi sed civitati fecisse iniuriam.

Quid modestia?

Modestia. *Modestia est virtus cognata magnanimitati & à quibusdam definitur parva magnanimitas, vel modestia est circa mediocres honores laudabilis mediocritas, cui ambitio & honoris vacuitas seu vitiosus pudor opponuntur. Ambitio est vitium, quod circa honores mediocres officiaq; minora reipub: modum excedit, Honoris vacuitas significat vitium in defectu, quod in appetitione honoris deficit. Modestia a Cicerone definitur virtus per quam pudor honestus claram & stabilem comparat auctoritatem. Sed communis hæc est non propria modestiæ significatio. Audi*

Ambitio.

Vitiosus pudor.

Cicero in Rhet. I.

ambi-

ambitiosè quo scandas.

Summa petit livor, perflant altissima venti, Ovid.lib de remed.
Summa petant dextrâ fulmina missa Iovis.
Vis ergo esse modestus, vis esse quietus, & tutus?
Vive tibi, et longè nomina magna fuge. Lib de trist 3.

Sed quid times, cur fugis oblatum honorem aphilotime? vix ulla potentia longa est (*inquit*) *at necessaria dignis*: Si ergo sis dignus, modestè ambire licet, recusare non licet. Ovid. Met. lib.2.

Quid mansuetudo seu clementia?

Mansuetudo est frænum, seu moderatrix iræ. Vel mansuetudo est mediocritas inter iracundiam, iraq; vacuitatem, vel deniq; est virtus, quâ homo præditus nullâ vehementi passione unquam movetur, sed sẽper inclinans ad clemẽtiam, mitis, & benignus dicitur. De ira, & iracundia satis antè. Iræ vacuitas, est vitium in defectu contrarium mansuetudini, quod hominem nimis facilẽ, remissũ et dissolutũ reddit, ut minus irascatur, quàm oportet. Sub mansuetudine continetur clementia, quæ definitur virtus hominẽ ad veniam, et ignoscendi facilitatẽ, secũdũ rectã rationẽ movẽs. Huic virtuti opponũtur inclemẽtia, et indulgẽtia. Illa est vitiũ in excessu puniẽdi, cuius species sũt crudelitas, et sæuitia: hæc vero est vitiũ, quo quis in puniẽdo deficit. Differũt mansuetudo, et clementia, quia illa iram, et passionẽ; hæc pœnã, et punitionẽ frænat, rationisq; legi, et imperio subijcit. Si usum istorũ õniũ scire desideres, dico quòd clemens & mansuetus fias, si, quo plura posis, plura patienter feras, nam violenta nemo imperia continuit, moderata durant *immo.*

Mansuetudo.

Clementia sub mansuetudine cõtinetur.

Iuclemẽtia & indulgẽtia.

Sen. Troad.

Quo

Ovid trist. l. 3.

Quo quisq; est maior, magis est placibilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

Crudelitas quid.

Sed cave ne sis crudelis. Nam crudelitas est atrox vitium in infligendâ pœnâ, & effundendo sanguine, aut sine causa, aut levissimâ datâ, potiusq; arreptâ causâ offensionis. Nam in puniendo severitas placet, sævitia autem, feritasq; non placet. *Sed iterum cave ne nimis indulgeas sceleri. Nã indulgentia est affectus remissi animi, qui si consuetudine fiat habitus, rectè definiri potest vitium, quod in sceleribus et sceleratis puniendis languet. Unde comicus*, Licentiâ deteriores omnes sumus. *Unde etiam Seneca*, Tã est crudelitas omnibus ignoscere, quam nulli parcere.

Sevitia quid. Quid indulgentia. Terent. heautont. Lib de clementia.

Quid affabilitas?

Affabilitas.

Affabilitas est oblectandi studium in congressu & sermone hominũ, sine omni offensione. Vel est circa humanarum congressionum voluptates, & tristitias dilecta mediocritas. Vel deniq; est virtus placida inter contentionem, & adulationem posita, quæ hominem verè amabilem illis reddit, quibuscum versatur. Differt affabilitas ab amicitia, quia est sine dilectione, et affectu unius ad alterum. Quippe affabilitas esse potest inter ignotos, amicitia non potest. Adulatio est vitium in excessu, affabilitati oppositum, quod hominem parasitũ reddit, cuius propriũ est; si ais, ait, si negas, negat emolumenti causa. Morositas seu cõtentio est vitiũ animi, quod hominem ita difficilem, & perversum reddit, ut neq; dictis neq; factis aliorum ad honestam, voluptatem pertrahatur. Non inhærebo verbis, solum moneo ne tibi oculos effodiat, dum vivis, adulatio: quæ vitæ humanæ pestis est, omniumq; malorum fomes.

Amicitia & affabilitas differunt. Adulatio. Terent. Eunuch. Contentio seu morositas.

mes. *Sapienter ille, quicunq; fuit.* Habet suum venenum blanda oratio, & bis peccas, qui assentatori aures accomodas. *Quippe*

latitat lupus ore cruento. Prudentius

Mitem iam mentitus ovem sub vellere molli.

Concludam verbo.

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat. Prosper.

Et delectatum crimine, laude ligat.

Quid comitas?

Comitas est linguæ condimentum, vitæ solatium, dolorum fuga, iocorum norma: *propriè autem comitas est virtus condiendi sermonem sale ingenij, fugandi tædium facetijs, & iocis modestè delectandi. vel est inter scurrilitatem & rusticitatem mediocritas. Scurrilitas est vitium in excessu comitati oppositum, quod importune semper, ubiq; sine modo et ratione, cachinnos & iocos movet.* Comitas. Scurrilitas. *Rusticitas est vitium in defectu comitati oppositum, quod facetè nihil unquam facit, nec aliorum sales, & facetias patitur.* Rusticitas. *Comitas ad vitam humanam necessaria est, ut curis levetur suis, nam*

Quod caret alterna requie, durabile non est. Ovid. ep.

Sed cavendum est, ne sales offendant, ne sint immoderati, ne turpes, ne insulsi. Phæd. Hyp.

Quid veritas?

Veritas est virtus, quâ quis, qualis ipse sit, tum verbis, tum factis palam ostendit. Vel veritas est mediocritas inter iactantiam, mendacem, & vanam dissimulationem. Iactantia est vitium, præclara de se ostentantis, & gaudentis mendacio. Dissimulatio est vitium per hypocrisim extenuãtis seipsum, & inde quærentis gloriam

gloriam. Sed laudare se vanum, vituperare se stultum arguit. Verus hoc loco, non ille intelligitur, qui in stipulationibus, & in iis quæ ad iustitiam, & iniustitiā pertinent, verum dicit; sed is qui & in verbis, & in vitâ ex eo vera dicit, quia habitu talis est. Iactabundus, seu arrogans est, qui gloriatur se habere multa, quæ nō habet. Sed audiat illud prudentis,

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.

De mendacio, quod est etiam vitium oppositum veritati, cum intentione fallendi coniunctum, nihil hîc dico, satis enim in Ethicis de eodem dixi: addo tamen definitiones mendacii, periurii, & falsi testimonii, ut melius de illis disputetur. Mēdacium, quod est fictio cum intentione fallendi. Periurium, quod est mendaciū iuramento firmatum. Falsum testimonium, quod est mēdacii attestatio.

Quid est amicitia?

amicitia.

Amicitia, est mutua benevolentia inter bonos & pares studio, & exercitatione virtutum, morumq; similitudine coniunctos. Vel est omnium rerum divinarum, & humanarum cum benevolentia, & charitate consensio. Vel est naturâ affectus, vita consuetudine virtus, inter inimicitiam, nimiamque petulantiam amoris. Vel denique est virtus amandi alium virtutis solius causa: sola hic vera amicitia definitur, non fucata, quæ in utilem, quæstus; & in iucundam, voluptatis causâ susceptam dividitur. De amicis veris dico, quod olim Ovidius dixit,

Amicitiā vera, utilis, iucunda.

Hi

Hi duo corporibus, mentibus unus erant.

Inimicitia est pestis naturæ, civitatis ruina, quæ homines belluis deteriores reddit, *omnique humanitate exuit. Ut enim amicitia, mites, & gratos: ita inimicitia feros, & odiosos facit. Hinc contentiones, insidiæ, bella, cædes, parricidia, aliaque sexcenta mala in perniciem humani generis, & societatis inventa sunt. Quid multis? Inimicitia est vitium amicitiæ in amoris defectu oppositum, quod semina odij inter familiares spargit, & alit. Vel denique est vitium, quod dispares, & dissimiles moribus, ab omni studio virtutis, & concordiæ adiram, invidiam, discordiam, & odium rapit. Alterum oppositum amicitiæ à multis ineptus petulansque amor, à multis autem veriùs ipsa assentatio dicitur quæ est res admodum damnosa, & periculosa, incautis, gloriosis; & simplicibus viris, qui verborum specie facilè capiuntur. Sed rectè Tibullus.* Inimicitia.

Ne nos decipiant pendentia brachia collo, Lib. 3. el. 7.
Nec capiat blandâ, sordida lingua fide.

Quid concordia?

Concordia est amicorum vinculum, & omnium optimus effectus amicitiæ, vel est virtus, quâ cives inter se coniuncti & legem, & pacem in virtute colunt: huius filia pax est, quæ definitur amicorum in bono, honesto, utili, & iucundo conspirantium, optima tran- Cōcordia. Pax quid.

Bellum. *tranquillitas. Cui contrarium* bellum est, flagellũ populi, fax inferni, seditionis fulmen, bustum civitatis, communis ruina, & naufragium omniũ *Quid dicam?*

Lib. de arte — Candida pax homines, trux decet ira feras.

Quid dicam?

Lucanus l. 2. — Heu miseri qui bella gerunt.

Lege deûm minimas rerum discordia turbat,
Pacem summà tenet, cõcordat nobilis ordo.

Quid concludam? certè quod nulla pestis sit efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus, qui fidem & concordiam simulat. Sed omnium pessime.

Sedulius. — Quid socium simulas, & amica fraude salutas?

Nihil hic dicam de conspiratione & consensu malorũ, qui etiam sæpe concordare, & consentire videntur. discors quidem est eiusmodi harmonia: nã nisi virtus in concordia Basis sit, et Tenor, ut ita dicam, animorum in ipsa virtute consensus, non propriè concordia, sed reipsa mala conspiratio est, quæ authoribus malorũ perniciem secum apportat. Qui ergo in templo pacis, vel concordiæ præcentor esse cupit, discordias vitet, mediamq; vocẽ unitatis & virtutis audiat.

Templum pacis vel concordiæ.

Quid constantia?

Constãtia. *Constantia est anchora virtutis, vel est animi firma stabilitas cum perseverantia coniuncta in studio, actione q; virtutis: vel deniq; est bonus habitus animi; qui actionem honestã consuetudine studioso familiarẽ reddit. Perseverãtia est constantia perfectio: vel est in ratione probè suscepti operis perpetua, & voluntaria cõmoratio. Quid multis?* nihil prodest didicisse bene facere, si cesses bene vivere, *Perseverãdũ ergo est,*

Perseverãtia quid.

quia incepiſti bene. Et ſi vires deficiant, animo tamen perſeverandum eſt, quoniam nihil longum, aut diuturnum eſt, quin exitum tandem ſit habiturum: *memineris illud Senecæ.*

Quod ſæpe fieri non poteſt, fiat diu. In Oedip. act. 5.

Opponitur conſtãtiæ inſtabilitas, et otioſa ſecuritas, vel ſecura ocioſitas Illa eſt vitiũ, quod hominẽ incertũ & ventoſũ, hæc autẽ eſt vitiũ, quod hominẽ ſupinũ et deſidioſum reddit. Inſtabilis, & inconſtantis iſta vox eſt, Inſtabilitas Securitas.

Romæ Tybur amo, ventoſus Tybure Romã. Horat. ep. lib. 1.

Ocioſa ſecuritas eſt vitiũ, quo quis mentis iners à neceſſarijs actionibus virtutis deficit, alijſq; vanis, et inutilibus intendit. Sed audiat deſidioſus Poetam, Ocioſa ſecuritas

Cernis ut ignavum conſumant ocia corpus,
Et capiunt vitium ni moveantur aquæ. Ovid. de Pont. l. 1.

Quid patientia?

Patientia eſt virtus animi perferentis cũctos adverſæ fortunæ impetus, & procellas, cum recta ratione & æquanimitate: vel eſt medicina quâ curãtur omnia vulnera, et calamitates huius miſeræ, et mortalis vitæ: vel deniq; eſt arx tutiſſima virtutis, quã nunquã expugnavit fortuna. Sapienter Plato Totius, inquit, philoſophiæ robur patientia eſt. Huic cõtraria ſunt impatientia, et tolerantia. Illa eſt vitium animi nihil patienter ferentis mali (de quo antea ſatis in definiendis affectibus diximus.) Hæc autẽ eſt vitium, quo quis omnia mala, & tormenta vitæ & necis, ſine modo & ratione pertinaciter, et obſtinatè perfert, ut videatur iuſtus et patiens. Sed cauſa, nõ pæna, nec pænæ tolerãtia martyrem aut patientem facit, *ſi ſis ſapiens audi* Impatientia et tolerantia quid.

Fert ſapiens omnis caſus patienter amaros.

Si vero nunquã patientiæ stimulũ sentias, verendũ est ne sis malus:nam, ut quidã, miserrima est fortuna, quæ inimico caret. Si enim nullos inimicos tibi fecerit iniuria,multos tamen virtutis comes dabit invidia,*quippe,ut rectè Prosper ait,*

Bonorum sortes.

Nunquã bella bonis,nunquã discrimina desunt,
Et cum quo certet,mens pia semper habet:
Pulsans exterius diversis moribus hostes,
Intùs civile est, & sociale malum.

querela quid.

Iterũ definiunt quidã impatientiam,vitiũ quo animus deficiẽs in adversis,impetuosos mot⁹ suos nõ refrænat. Huius comes querela est,quæ latentẽ cordis molestiam impatientibus signis,motibusq; demonstrat. Querelã sæpe sequũtur lachrima. Sed hodie nihil lachrimis citius arescit. *Imo ut Poeta cecinit,*-Maiore tumultu Planguntur nummi quam funera. *Ratio est;quia,*

Iuvenalis Sat. 13.

Ploratur lachrimis amissa pecunia veris.

Quare veram patientiam disce,ita tamen,ut patientia læsa cum opus est severa constantia fiat;furor autẽ rarò,*aut nunquã fiat,nisi martis furiæ,impetusque te ad vim inferendam,aut repellendam urgeant.*

Quid pietas secundum philosophum?

Pietas.

In Rhet:

Pietas secundũ philosophũ,nihil aliud est,quàm virtus quâ debitũ honorem parentibus, & viris ordine melioribus,præstamus. Cicero definit pietatem,virtutẽ per quam, sanguine coniunctis, patriæq; benevolis,officiũ, cultumq; tribuimus. Vel deniq; pietas est virtus grata omnibus,quâ in Deum, patriam,parentes,magistratus,aliosq; omnes nobis meliores officium persolvimus.

Virg.in Æne.

O maxima rerum, Et meritò pietas homini tutissima virtus. *Si rationẽ quæris,*

Ovid.Fast 6

Pietas & in hoste probatur.

Ad hanc divinam virtutē, reducuntur humilitas, reverentia, obedientia, amor patriæ. Humilitas Deū, reverentia seniorem, obedientia principē, amor patriæ civitatem spectat. Humilitas est virtus, quâ quis fragilitatis suæ memor, in nullo se extollit, nihilq; boni sibi ascribit. vel est virtus per quā, homo sibi, verissima sui cognitione præditus, vilescit. Deum inquā, hæc virtus præcipue respicit. Recte Ovidius. Humilitas.

Flectitur iratus voce rogante Deus. Lib. de art.

Humilis est qui spernit mundū, spernit seipsum, spernit se sperni, et tamen spernit nullū. *Reverentia est virtus, quæ ætate vel ordine seniores, et venerabiliores viros, per externa, et modesta signa colere nos docet. Obedientia est virtus, et leges servandi, et obtemperandi regibus. Vel est iusti mandati, et auctoritatis, non sine pio affectu obseruātia. Hinc poeta,* Reverētia. Obediētia.

Est legum servanda fides suprema voluntas,
Quod mandat fieriq; iubet, parere necesse est.

Amor patriæ est amor, qui omnē amorē vincit, vel est appetitu & affectu innata virtus, ratione vero et consuetudine aucta, quâ homo, animal sociabile, nativum solum omnibus rebus humanis præfert. Sapienter Cicero, quoniam omnia commoda provenīūt ex patria, nullum incommodum pro patriâ tolerare, est grave putādū. Huc addo *illud Ovidij.* Amor patriæ. De pont: lib. 1.

Nescio qua natale solum dulcedine cūctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Concludam ergo,

Dulcior est patrius alieno cespite cespes.
imò Dulce et decorum est pro patria mori. Hor. car. l. 2. od. 12.

Definitis iam affectibus, et virtutibus

moris, definias quæso virtutes mentis?

De duplici vi mentis, seu de subiecto intellectualium virtutum.

Oportune quidem hoc postulas. Sed antequam ad earum definitones tradendas accedimus, opera preciũ erit partem animi distinguere, et definire, in quâ insunt. Mentis ergo duæ sunt partes, una quæ vis, seu potentia contẽplativa; altera, quæ activa dicitur.

Vis contẽplatrix animi.

Vis contemplativa definitur ea pars animi, quâ necessarias propositiones, axiomata, & principia artium, quæ aliter se habere non possunt, contemplamur.

Vis activa.

Activa vero est pars illa, quâ propositiones contingentes, quæ possunt esse falsæ, perspicimus.

Quinque virtutes mentis.

In priori parte, nempe contemplativâ sunt scientia, intelligentia, & sapiẽtia: in alterâ, nimirum activâ, sunt ars, & prudẽtia solum; quarum finis, aut opus, aut actio est, ut postea in earum definitionibus patebit.

Dubium.

Quomodo potest mens sic dividi in diversas partes, cum sit ipsa simplex et indivisibilis substantia?

Solutio.

Mens quidem una et simplex est substantia, sed ut unius et eiusdem flammæ duæ sunt vires, una ad calefaciendum, ad illuminandum altera, cum tamẽ eadem sit flamma, quæ utramq; vim habet: & ut acies oculi sursum versa, cælum, et sidera; deorsum autem depressa, terram intuetur: ita mens, quæ est flamma, et acies animi dicitur cõtemplativa, dum universalia, et immutabilia; practica vero, et activa, dũ singularia, et contingentia cernit. Si verborũ distinctionẽ requiras mẽs verè contemplativa dicitur, ut sapiẽtiã; speculativa, ut scientiam; intuitiua, ut intelligentiam; discussiva, seu practica, ut artem; consultativa, ut in se prudentiam continet.

Dic

Dic paucis subiectum, obiectum, et finem harum virtutum?

Subiectum est mens, seu intellectus, ut vides; unde virtutes mentis seu intellectuales nominantur. Obiectum est verum. Vt obiectum moralium virtutum est bonum. Finis est veritatis in re qualibet à causis, aut effectis disquisitio. Subiectum obiectum & finis intellectualium virtutũ.

Quid est scientia?

Scientia est speculativus mentis habitus, ex multis demonstrationibus acquisitus. Hæc ordine naturæ à causis, ordine disciplinæ ab effectis, axiomata & conclusiones ducit. Huius obiectũ 1 universale 2 æterum, 3 necessarium, 4 ingenitum, & 5 incorruptibile definitur esse. Huius instrumentum probationis est ipsa demonstratio, quæ definitur ratiocinatio ex primis, veris, & necessarijs constans. Huius deniq; finis est certa cognitio rerum, aut per causas, aut per effectus, & proprietates, ut in libris Analyticis demonstratur. Sed quid moror? vis esse sciens? vis esse philosophus? artibus diligenter stude. Studebis autem, si ignorantiam fugias. Fugies ignorantiam, si causas rerum discas. Disces causas rerum, si curas mundi deseras. Curas mundi deseres, si quantum in te est, ad teipsum redeas: redibis deniq; ad teipsum, si, in contemplatione sepultus, multitudinem, si paucitatem, si unum à te removeas. *Quippe si verè scire, aut sapere discupias, non invenio quo cum te malim esse, quã tecum. Nam ut ait philosophus, optimus est, qui à seipso omnia intelligit. Qui verò nec à se, nec ab alijs discet, inutile pondus erit. Iuxta illud Hesiodi,*

Scientia. Demonstratio. Finis scientiæ. Arist. cap. 4. lib. 1. eth.

Optimus ille quidē est, ex sese qui ōnia novit,
At qui ex se nescit, cuiquā nec porrigit aures,
Vt bona percipiat, demens et inutilis ille est.

Quid est intelligentia?

Intelligentia. *Intelligentia est fides philosophorum, qua credunt sine causis, et demonstrationibus principia esse. Eosq; condemnant una voce omnes, & singuli qui aut negāt principia, aut contra principia disputant. Vel si placet intelligentia est intuitivus habitus mentis: quo per Inductionem principia probantur esse. Vel deniq; intelligentia definitur ipse habitus principiorum. Principia hoc loco, vel rerum, ut materia, forma, privatio: vel rationū, ut primæ propositiones, et axiomata dicūtur: quæ tàm firma, tàm vera sunt, ut non possint esse falsa. Ut, qui demit æqualia æqualibus, relinquit æqualia. Hic monendi sunt huius ætatis non pauci superciliosi sophistæ, qui cum nihil ferè intelligant, negando artium principia, famam quærunt. Sed falluntur, & errant toto cælo.* Quippe dum semina ignorantiæ spargunt, segetem stultitiæ, & infamiæ metunt. *Si ergo homo verè intelligens esse velis, crede principia esse. Illa ne nega, contra illa ne disputa. Hos limites posuerunt sapientes: teipsum in illis contine. Et quamvis Stentoreâ voce isti pseudophilosophi contra hæc omnia clament, tene tamen quod didicisti. Nam torrentes isti nihil profunditatis habent. Recte, Ovidius.*

Principia non sunt neganda.

Lib: de remed: am.

Flumine perpetuo torrens solet altiùs ire
Sed tamen hic breuis est, illa perennis aqua.

Quid sapientia?

Sapientia. *Sapientia est amplissima rerum, tam divinarum, quàm*

quàm humanarum scientia. Vel sapientia est scientia, & intelligentiæ perfectio. Nam vtramq́ue, et utriusq́ue obiecta comprehendit. Vel deniq́ue sapientia est entium optimorum, nobilissimorumq́ue certissima cognitio. Húc addit philosophus, quod aliquando nomen sapientiæ sumatur pro perfectione cuiuslibet artis. Sic Apelles pictor et Polycletus statuarius, sapientes dicantur. Sed verè sapiens is est, qui seipsum novit. Cæterum quid ineptiis de sapientia loquor?

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

At si sapientiæ forma oculis videri potuisset, maximè omnium virtutum, ad amorem sui omnes allicere, et excitaret. *Quippe* rem maximam tibi sapientia promittit, ut te ad te reducat. *Quid multis?*

Tranquillam, et vacuã cuius sapientia mẽtẽ — Prosp.
Imbuit, et placidi pectoris hospes erit.

Quid prudentia?

Prudentia

Prudentiam suprà inter heroicas, & cardinales virtutes definivi, eo respectu, quo actiones moralium virtutum respicit. Nunc addo quòd sit virtus etiam mentis circumstantias et media rationis inveniens, quibus veritas meliùs cognoscatur. Cæterum propriè prudentia consideratur in intellectu practico, & virtus activa dicitur, in qua omnes virtutes moris connexæ sunt. Ad quam consultatio, electio, earumq́ue comites sagacitas, et sententia spectant. Sagacitas virtus citò, et ingeniosè inveniendi medium. Vel propriè definitur inveniendi et iudicandi solertia in positione legis. Sententia à bene sentiendo hoc loco dicitur. Definitur virtus rectè

Solertia, sententia, quid,

iudicandi in defectione legis lata, cũ à sensu, et mẽte legislatoris videatur deficere. Sed de his satis supra.

Quid ars?

Ars.

Ars liberalis & meçanica.

Ars est prima experientiæ filia. Vel est collectio multorũ præceptorũ, tendentiũ ad utilẽ finẽ humani generis: vel est habitus activus, seu effectivus, in disquisitione veri, circa ea quæ aliter se habere possunt. Hac in liberalem, cuius finis est actio: et in machanicã, cuius finis opus externum est, dividitur. Actio immanens, si artificem, transiens est, si opus, aut materiã spectes. Perfecto autem opere effectio dicitur. Ars liberalis est ut medicina: ars machanica est, ut architectura. Si urgeas hoc loco, quod omnes scientiæ artes dicantur liberales, et tamen earum finis non est actio. Respondeo, illas communitèr non propriè artes appellari, ut constat in obiectis utrinsq; Scientiarum obiecta sunt universalia, necessaria, et æterna: artis vero obiecta, singularia, cõtingentia, et quæ aliter sese habere possunt, id est quæ possunt esse falsa. Non tamen est ars fortuna, aut res fortuita, ut nõnulli somniãt. Quia quæ à fortuna eveniũt, temerè & per accidẽs ignorãtibus eveniunt, quæ vero ab arte, cum electione. Cæterum non nego cõmercium esse, inter artem & fortunam.

Agath.

Quippe ars fortunam, fortunaq; diligit artẽ.

Lib.6.Eth. cap.4.

Nonne sunt opposita vitia harum virtutum?

Quinq; virtutibus quinq; opponuntur vitia, nimirũ ignorantia, stulti-

Omnibus hisce virtutibus repugnant præcipuè duo. Ignorantia, & stultitia. Ignorantia est privatio scientiæ: stultitia privatio ingenij: utraq; menti, & veritati inimica. Si ignorantia sit supina, grave peccatum est. Si stultitia autem sit voluntaria, magna infamia est. Nã

omnes

omnes stulti insaniũt. *Sed hæc omitto. Scientiæ propriè opponitur ignorantia, intelligentiæ opponitur hebetudo ingenij, sapientiæ opponitur stultitia, & error, prudentiæ opponitur imprudentia, arti deniq; opponitur ἀτεχνία, quæ inertia, vel sine arte imperitia dici potest Percurram singula. Ignorantia est vel innata, vel acquisita, utraq; opposita scientiæ, at magis propriè acquisita, quæ est vitium, quo aut negligitur, aut contemnitur, aut semel possessa perditur sciẽtia. Vel est, ut verbo definiã, insita, aut voluntaria defectio scientiæ. Stultitia est quoq; naturalis, vel spontanea; naturalis, quæ homines servos, et mancipia a natura facit. Spontanea, quæ definiri potest universalis ignorantia omniũ. Nã ut sapientia est rerum omnium, tam divinarum, quam humanarum amplissima scientia: ita stultitia est rerum omnium, tam divinarum, quam humanarum crassissima ignorantia. Vel stultitia est insigne vitium animi, quo mens occæcata, temerè omnem intellectum, et rationẽ abijcit, omnemq; errorem avidè amplectitur. Hebetudo ingenij vel à natura est, vel ab otio, & socordiâ nata. Illa minùs culpanda, hæc verò labes inusta est, quæ deleri nõ potest. Definiturq; vitiũ, quod nos à caussis, et principijs, rerum et artium perdiscendis, remoratur. Vel est habitus non credendi principijs, artiumq; axiomatis, seu maximis, ut aiunt, propter innatã, aut voluntariam ignorantiam. Impudentia est præceps temeritas agendi sine ratione. Vel est vitium, quo homo sine ratione, consilio, et electione omnia vitæ officia tractat. Nã ut prudẽtia est heroica virtus, quæ in omni actione circumstantias præscribit: ita imprudentia universalis quædam defectio, vel animi temeraria*

praci-

tia, hebetudo ingenii imprudentia & inertia quæ hic definiuntur omnia.

Ignorantia.

Stultitia.

Hebetudo.

Imprudentia.

præcipitatio eſt, ad omnem actionem ſine ullo circumſtantiarum intuitu, & conſideratione. Atechnia. *Atechnia eſt vitium arti oppoſitum, quod hominem inertem, vel ſine arte reddit. Vel eſt habitus deficiendi, aut errandi in opere artis. Vel denique eſt habitus ut loquuntur factivus eorum, quæ aliter ſeſe habere poſſunt, & quæ falſa cum ratione fiunt, ut imperitia ædificandi in eo, qui falſo nomen architecti vendicat, & inſcitia pingendi in illo, qui artem pictoriam profitetur. Hiſce adijciuntur oppoſita ſagacitatis, & ſententiæ, quæ ad prudentiam ſpectant.* Sagacitas. *Sagacitas anteà definita eſt, rectè iudicandi ſolertia in poſitione legis.* Sententia. *Sententia autem rectè iudicandi in defectione legis, cum lex ab univerſali deficit. Sagacitati repugnat tarditas inveniendi medium. Sententiæ repugnat defectio, & ignorantia rectè iudicandi de ſenſu legis, àut legiſlatoris, cùm oriuntur dubia. Iſtis iam definitis* uſus omnium citiùs à quovis diſcitur, quàm vitâ exprimitur, aut exercetur. *Nam facilè eſt dictu, quod ſcientiâ, intelligentiâ, ſapientiâ, prudentiâ, arteque excellunt omnes, qui veritatem obiectum harum virtutum ſtudioſâ mente, quæ eſt earum ſubiectum, appetunt. Sed hoc non eſt tam facilè factu. Nam vt eſt in proverbio* ſtultorum plena ſunt omnia, & perpauci ſunt qui in portum ſapientiæ navigant, *& tamen non pauci ſunt, qui nimis altum ſapiunt. Superciliosos ſtoicos noſtrorum temporum intelligo, qui media diſcutiendæ veritatis, & inſtrumenta ſapientiæ, id eſt artes, & ſcientias tollere contendunt.* O cæca ætas mundi, in qua, opini-

opinione stultâ sapientes sumus. *Sed (studiose adolescens) cave, &*

Qui recto cœlum vultu petis, erige frontem, & Boet. de cons.
In sublime feras animum.

Hasque mentis divinas virtutes disce, vitiaque contraria fuge. Nam ut sapiens fœlix est: ita stultus miser: at sine *his virtutibus mentis nemo sciens, nemo intelligens, sapiens nemo, nemo prudens, aut eruditus, sed ignavus, hebes, stultus, imprudens, iners, & indoctus dicitur.* Cic. parad.

Quid est finis moralis Philosophiæ?

Fœlicitas, eademq; duplex, Activa, quæ à virtutibus moris; & contemplativa, quæ à virtutibus mentis pēdet. Illa est perpetua actio virtutis, in vitâ perfectâ, de quâ supra. Hæc autem perpetua, & divina contemplatio primæ veritatis. Per primam veritatem Deum, entiaque nobilissima, & æterna intelligo: quæ mēs in se versa, & ad causam sui conversa suspicit, & admiratur. De fœlici ergo contemplante, idipsum dico, quod olim Ovidius de Pythagora dixit: Fœlicitas duplex. Prima veritas.

----Isque licet cœli regione remotus, Ovid. Met. l. 15. f. 2.
Mente Deos adiit, & quæ natura negabat,
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

O clarissima mentis lumina, si corporis luminibus cernerentur quæ videtis, quis istas tenebras non excuteret? quis delirantem hunc mundum non contemneret? Videtis cœlum, videtis motum cœli, videtis moto-

rem

rem cæli , ipsum deum qui à philosopho Ens entium, auctor omnium, summum bonum, primum verum , naturæ principium , idemq; incommutabile , immensum , æternum , et infinitum dicitur . *O Deus , ô finis contemplationis nostræ , nos nostraq; studia ad teipsum trahe, nam nisi traxeris tardi , aversi , et ociosi sumus.*

Peroratio ad adolescentem studiosum lectorem.

ABCedarium seu introductionem hanc ante scripsi (studiose adolescens) ut accuratius, à te & vitæ, & morum præcepta intelligantur. Nam vt Architectus positis fundamentis, rectiùs semper ædificat, & sine illis nihil unquam præclarè facit: ita philosophus cognitis definitionibus, quæ sunt fundamenta rerum, certius disserit, quibus ignotis facile errabit, recteq; cōcludet nihil. Quamobrē ut ad cētrum argumenta, et ad vsum vitæ tuæ instituta dirigas ex Aristotele, aliisq; philosophis affectuum, virtutum. et vitiorum definitiones collegi, tibiq; soli (cuius causâ senex nunc studeo) opus dedi. Si rationem hîc quæras cur tot poetarnm versus, in explicatione usus intriverim, respondeo me in illis non parum auctoritatis, varietatis autem nonnihil, plurimum deniq; leporis, & sapientiæ: ad movendos animos mortalium, sēper inuenisse, et certè huc labor, huc studium, & opus iam tendunt mea, ut te (doctissime adolescens) non tam præceptis philosophiæ imbuā, quàm virtutum aculeis extimulem, ad philosophiæ usum, & finem, qui est ut vivas bene. *Nam sicut in itinere nihil prodest, viam nosse, nisi voluntas, conatus, et vires suppetant ambulandi: ita virtutis definitio, aut scientia nihil tibi proderit, si id operâ, & vitâ non exprimas, quod voce & linguâ profiteris. Vox enim operis multo magis, quam vis definitionis nos ad bene vivendum movet.* Quare etsi laude dignum

Intentio authoris in hoc opere.

Lib.2. rhe.

Poetarum testimonia laudātur.

Lactant: lib. de vero cultu.

dignum sit illud quidem de moribus à definitione rectè disputare, rectè tamen vivere longissimè hoc opus superat. Nam in hoc quidem opus vincet, & superabit artem. Quid stas adolescẽs? cur huc non properas? hęc via est, cur non ingrederis? Si ignorantiam causeris, audi, *nullus suavior animæ cibus est, quã cognitio virtutis, nulla pestis maior, quã ignorantia veritatis.* Si te morẽtur divitiæ.

Excusationes adolescentum quò minùs ad virtutẽ accelerent.

Non est tuum fortuna quod fecit tuum.

Imò recte ille

publ. Mim.

Terrenis opibus cum dives gaudet iniquus,

Veris se miserum nescit egere bonis.

Honores.

At te honores avocãt. Quid, quæso, est *honor, nisi sonorus aer, strepitus mundi, applausus populi, fortunæ risus, Phaetõtis curr⁹, Icari casus, occasus solis?* Accede igitur: nã *verus honor nõ tam generi et sanguini quàm virtuti, ad cuius studium, & amplexum te nũc voco, debetur.* Laus enim est virtutis propriũ, laudis splendor, & incremẽtũ honor. Quid ais adolescens? cur rectã, monitus, ad huc non ingrederis viã? fortasse te ad ameniorẽ voluptas allicit. ô cave tibi, Nã Circe, & Syrẽ fœda voluptas dicitur, teq; in prodigiosum, ni caveas, trãsformabit mõstrũ. Sapienter Architas Tarentinus ille, nulla pestis est capitalior, quã voluptas corporis, quę semper brevis est, & veneno plena. Vera autem voluptas illa solum est, quæ virtutem sequitur: aliam ergo fuge si sapias, nam

Voluptas.

Impia sub dulci melle venena latent.

Ovid. amor lib. 1. el. 9.

Sed adolescens adhuc sum, fortasse dices, & senex hanc asperã intrabo viam. Quid agis? mora

Ætas.

trahit

trahit periculum, &

Qui non est hodie, cras minus aptus erit. Ovid. de remed. li. 1.

Imò senex iã es, & morieris. Erras: nã ætate adhuc flos sum, & nõ moriar. ætate quidẽ flos es, et tamen morbo iuvenili senex. Festina igitur, nam certè morieris. Quî id scis? quia *omnes nascẽtes morimur, vitaq́ʒ hæc mortalis, ab ortu ad sepulchrum, perpetua mors est.* Singulis enim diebus, horis, & momentis vitæ, aliquid mors sibi rapit. Videas sæpe fœtus strangulari in utero: videas passim editos infantes mori: videas ubiq; iuvenũ sepulchra, rarissimè hodiè cana capita, & quadrupedes senes videas. Quid stas otiose, cur non toties vocatus properas? tu ipse causam videas. Nam uxorem duxi, liberosq; educandos habeo. causa hæc nulla est. Nã eo magis huc advolares, ut te duce, tuoq; exemplo, illi in virtutis viam directi sanctiùs vivant. Age ergo quoniã honores, divitię, voluptates, & omnia quæ istius mundi pictus globus continet, aut fortunæ pilæ, & ludibria sunt, aut naturæ flores, & folia, veni mecum, rectãq; vivendi viam persequamur. Tum sane mors (cuius nomine tantopere expallescis) tibi nõ nocebit. Nam *si benè vixeris, non morieris malè.* Hæc omnia (generose adolescens) te solum ex humana philosophia, quæ est lumen naturæ, & virtutis docui. Bona hæc sunt quidem, si discas, sed meliora ex divinâ philosophiâ, quæ est lumen gratiæ, & salutis disces, *Vale ultimo Novembris.*

Senex quadrupes, qui scipionibus propter infirmitatẽ utitur.

Cura familiæ.

FINIS.